DE

C. SUETONII TRANQUILLI

FONTIBUS

ET

AUCTORITATE.

SCRIPSIT

AUGUSTUS KRAUSE.

BEROLINI
IN LIBRARIA MYLIANA
MDCCCXXXI.

CAROLO ZUMPTIO

VIRO INGENIOSISSIMO

DEQUE LITTERIS EXIMIE MERITO

HUNC LIBELLUM

SUMMAE OBSERVANTIAE GRATIQUE ANIMI

TESSERAM CONSECRAVIT

A. K.

PROOEMIUM.

Si nemo adhuc eorum, qui de veteris alicujus scriptoris fontibus disseruerunt, de ejusmodi commentationis utilitate quicquam dixisset: Suetonii fontes et auctoritatem indagare instituentibus nobis faciendum forsitan esset, ut caussas explicaremus, quibus ducti laborem huncce suscepissemus, scriptionemque nostram qualemcunque non posse prorsus inutilem esse exponeremus. Cum vero omnes uno ore consentiant, ex tali quaestione multiplicem in litteras fructum redundare: non est, quod aliorum verba repetamus, propositumve nostrum excusare temptemus; praesertim cum etiam nostro tempore haud pauci reperiantur, qui Tranquillum minus locupletem auctorem censeant, cujus testimonio fides deroganda esse videatur. Verum quemadmodum in orco Pluto fertur de nudis manibus sincerum severumque judicium exercere: ita nos, quanta poterimus severitate, Suetonianas vitas nimis extollere alieni, et auctores, quos habuit Tranquillus, eorumque fidem recensere, et de judicio, quo sit eos secutus, ac fide et auctoritate disserere conabimur. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, de Suetonii aetate vitisque Caesarum, quas scripsit, pauca quaedam videntur admonenda esse. Ipse autem noster in Nerone extremo viginti annis post Neronis mortem cum existeret aliquis, qui Neronem se jactaret, fuisse se tradit

adolescentem [1]. Sequitur inde, ut Vespasiani principatus initio ferme natus sit; itaque rebus, quas in Tito et Domitiano narrat, ipse interfuit. Atque in Domitiani cap. 12. id ipse fatetur: *Interfuisse me*, inquit, *adolescentulum memini, cum a procuratore, frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsessus esset.* Supererant igitur adolescentulo nostro, qui sub Augusto nati, si non de ipso Augusto, at certe de Tiberio ceterisque imperatoribus aliqua nostro narrare poterant, quae ipsi viderant. Et in Caligulae cap. 19. rettulisse se dicit, quod ab avo puero sibi narratum fuerit, unde avum usque ad Titi vel Domitiani tempora vixisse intelligitur. In Neron. c. 29: *Ex nonnullis comperi.* In Othonis cap. 10 meminit patris sui, qui fuit Suetonius Lenis, tertiae decimae legionis tribunus angusticlavius. Interfuerat is proelio ad Bedriacum pugnato, narraveratque filio aliqua de Othone. [2]) In Titi cap. 3: *E pluribus comperi.* Denique extant duo loci, ubi rebus se ipsum interfuisse commemorat, ita tamen comparati, ut huc minus facere videantur: De ill. Gramm. cap. 4 extr. et in vita Lucani extr., si est nostro tribuenda. Potuit for-

---

[1]) De Pseudoneronibus cf. interpp. ad Suet. l. l. et Tacit. Histor. I, 2 et II, 8. Tacitus autem ejus non meminit, de quo refert Suetonius.

[2]) Heerenius de fontibus Plutarchi pag. 190. in Galba et Othone ita dicit: *Monendum praeterea est, non omnia eum hic ex libris hausisse, sed multa quoque auditu accepisse, quod ipse dicit de proelio ad Bedriacum pugnato; cum superessent adhuc sua aetate viri annis provecti, quorum pueritia in illa tempora inciderat.* At ipsius Plutarchi pueritia in illa tempora inciderat; nam natus sub Claudio a. 50, duodeviginti paene annis major est Suetonio. Cf. adnot. 9. — Tacitus in Annal. (III, 16 init.) quos sub Hadriano scripsit, de Tiberii temporibus aliqua ex senioribus se audisse ait.

tasse etiam de inferioribus Caesaris et Augusti temporibus audiendo aliqua accipere, quanquam non ab iis, qui rebus interfuerant, sed qui item a majoribus natu audiverant. Verum id nec diserte professus est, nec, si est factum, saepe accidisse arbitramur. Difficile est autem ad exponendum, neque ab hoc loco plane alienum, quo tempore Caesarum vitas descripserit. Plinianus locus (Epist. V, 11.) ubi admonetur noster, ut librum aliquem quam primum edat, num ad has vitas pertineat, et affirmari nequit, et, si posset contendi, propter alias difficultates nihil tamen inde lucraremur. In Augusti cap. 7. se dicit puerilem Augusti imagunculam nactum, eamque principi dedisse, a quo inter cubiculares coleretur. Annotavit Torrentius, quem secuti sunt alii: *Hadriano, cui epistolarum magister Suetonius.* Et in Aug. cap. 27 auctorem noster nominat Junium Saturninum; ibi in annotat. Paldamus: *Historiarum scriptor, Hadriani aetate.* At quidni imagunculam istam dederit Trajano fautori suo? Junius autem Saturninus quando scripserit, cum ne ullum quidem supersit testimonium, prorsus incertum est. Sed tamen factum est, quamquam firmis testimoniis deficientibus, ut, qui de aetate, qua vitas scripserit, dixerunt, sub Hadriano compositas esse affirmarent. Ac videtur nobis assentiendum illis esse propter caussas aliquas, leves sane, fortasse tamen non omnino spernendas. Ut enim mittamus dicendi formulas, inveniuntur apud Suetonium permultae res, aut Tacitianis [3])

[3]) *Tacitianum* unice videtur probare Paldamus in praef. ad Suet. pag. IX. Ita *Varianum* Suet. Aug. c. 23. At rectissime dicitur etiam *Tacitinum* ut *Brutinum, Marcellinum, Plautinum* Horat. de art. poet. v. 270. Macrob. Saturn. II. c. 1. Diomed. lib. III. ed. Putsch. pag. 483 laudat Varronis secundum librum *Plautinarum* quaestionum; et secundum M. Varro-

paene verbis traditae, aut eodem ordine expositae, quo rettulit etiam Tacitus [4]). Possit fortasse aliquis opinari, factum id ideo esse, quod uterque eorum eosdem auctores secutus sit. At Tacitus non tam illud sibi proposuisse videtur, ut verba historicorum singula accuratissime transscriberet, quam ut temporum statum ingenii sagacitate perspectum describeret. Suetonio vero Grammatico quis quaeso imputabit, quod res ab

---

nem apud Gell. N. A. III, 3 haec forma videtur verissima. Fortasse etiam dicere possis *Tacitanum* ut *Gracchanum* Cic. Brut. c. 34.

4) Sueton. in Tib. cap. 21: *spirantem adhuc Augustum.* Tac. Ann. I. cap. 5: *spirantem adhuc Augustum.* — Sueton. Tib. 61: *objectum et historico, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset.* Tacit. Ann. IV cap. 34: *quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.* — Suet. in Tib. c. 22: *Tiberius renuntianti tribuno, factum esse, quod imperasset, neque imperasse se, et redditurum eum Senatui rationem respondit.* Tacit. An. I, 6: *Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset: neque imperasse sese, et rationem facti reddendam apud Senatum respondit.* —, Suet. Aug. 65. extr. *sepsitque insuper custodia militum.* Tacit. An. I, 5: *acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia.* — Suet. Tib. 53. extr. *Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in gemonias abjecerit.* Tacit. An. VI, 25: *jactavitque, quod non laqueo strangulata, neque in gemonias projecta fuerit.* — Suet. Tib. 58 init.: *Sub idem tempus, consulente Praetore, an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit.* Tac. An. I, 72 extr.: *Mox Tiberius, consultante Pompejo Macro, Praetore, an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit.* — Suet. Otho c. 4: *quotiens coena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat.* Tac. Hist. I, 24: *quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret.* — Suet. Tib. c. 25: *Libo — res novas clam moliebatur.* Tac. Ann. II, 27: *Libo Drusus defertur, moliri res novas* cet. — Suet. Tib. c. 25: *servus Agrippae, Clemens nomine* sqq. Tac. Ann. II, 39: *Agrippae servus, nomine Clemens* cet. — Suet. Tib. 67. Tac. Ann. VI, 6. — Loci hujusmodi innumerabiles sunt; aliqui post occurrent.

aliis traditas ad verbum saepenumero rettulit? Atque ut in nominandis auctoribus: ita etiam in verbis accurate transscribendis Suetonio aliquanto parcior Tacitus est. Alter edicta, Senatusconsulta, orationes aliaque perraro ad verbum refert: noster contra Tranquillus saepius diligenter transscripsit, etiam historicorum verba se accurate tradere, ut post videbimus, non semel admonuit [5]). His caussis utut comparatis adducimur eo, ut Taciti scripta a Tranquillo adhibita esse credamus [6]). Jam vero Tacitus annales non scripsit ante annum CXVII post Chr. nat., quemadmodum docti homines recte jam viderunt [7]). Itaque Suetonius non facile ante annum CXX imperatorum vitas scribere potuit, id est imperante Hadriano, cujus epistolarum magister cum fuerit, optimam habuit copiam fontes inspiciendi non ita vulgatos, a Tacito tamen nihilominus adhibitos [8]). At vero Heerenius de fontibus Plutarchi pag. 187 ita statuit: *In iis, quae de juvenili Caesaris aetate legimus, plura sunt, quae habet quoque Suetonius; ut adeo Plutarchus eosdem quos ille fontes adire debuerit; ipsum enim Suetonium eum legisse,*

---

[5]) Sueton. in Galba 4 ipsa Augusti verba Graece rettulit; Tac. Ann. VI, 20 Latine vertit. — Sueton. in Tib. 67 ex oratione aliquà ad verbum refert; Tac. Ann. IV, 37 et 38 ex suo ipsius ingenio Tiberium loquentem facit. — Rarum admodum illud apud Tacitum in Ann. XV, 67: *Ipsa rettuli verba.*

[6]) Ernestius in excursu ad Suet. Tiber. cap. 37: *Suetonius — qui etiam Tacitum in manibus haberet.* At nemo unquam demonstravit.

[7]) Colligitur ex Tac. Ann. II, 61: *quod nunc rubrum ad mare patescit.*

[8]) Cf. Meierotto, qui de Taciti fontibus pauca quaedam disputavit in programmatis Gymnasii Joachimici Berol. a. 1795. Is tamen ne illud quidem monuit, ad quos scriptores Tacitus diserte provocet.

nil est quod indicat; nunquam saltem eum nomine addito laudavit. Et pag. 189: *Jam si de fontibus quaeris, quibus in Galba et Othone usus sit, admodum impedita est disquisitio. Nobis enim ex scriptorum grege, qui ante Plutarchum tempora illa descripserunt, unus superest Tacitus cum Suetonio. Multos vero et varios sese consultasse, ipse saepius monet Plutarchus. Tacitum vero et Suetonium ipsi cognitos fuisse, mea quidem sententia nihil est quod probat. Neutrum eorum nominavit* sqq. Heerenium sequitur Schoell in hist. litt. Graec. tom. IV pag. 155: *Rien n'indique qu'il ait connu Suétone et Tacite.* At secundum vulgarem opinionem, quam sumus comprobare conati, Suetonium testem Plutarchus laudare non potuit, cum a. post Ch. n. CXX sub Hadriano homo fere septuagenarius mortuus sit [9]). Contra igitur Suetonius Plutarchum, quantum pro certo et explorato habemus, sequi potuit, ac videtur etiam secutus esse, cum ille omnium ferme Caesarum vitas perscripserit, quas composuit Suetonius [10]).

Sed jam de ipsis fontibus dicendum est.

---

[9]) Itaque minus recte etiam Casaubonus ad Suet. Galb. cap. 12: *Plutarchus Suetonium sequitur.* De aetate Plutarchi praeter Voss. de hist. Graecis p. 208. cf. Fabricii Bibl. Graec. tom. III, pag. 329 et 333, quem recentiores secuti sunt.

[10]) Perierunt Plutarchianae vitae Augusti, Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis, Vitellii.

CAPUT I.

C A E S A R.

C. Julius Caesar scripsit rerum suarum commentarios, Gallici civilisque belli Pompejani. Nam Alexandrini Africique et Hispaniensis, Tranquillus ait, incertus auctor est: alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit [1]). Addit Suetonius Ciceronis Hirtiique et Asinii Pollionis de commentariis judicium, quorum illi de orationis praestantia, hic de rerum fide dixit [2]). Illos igitur cum huc minus pertineant, ut missos faciamus, Pollio Asinius, ut narrat Suetonius, parum diligenter parumque integra veritate compositos eos putavit: cum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: existimavitque rescripturum et correcturum fuisse. Est hoc unicum judicium, quod ex tota antiquitate de commentariorum illorum historica fide extat. Ac videtur nobis Asinius hac in re non minus sincerus quam se-

---

[1]) Cf. Sueton. in Caes. cap. 55 et 56. — Suidas ita: *Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ πρῶτος μοναρχήσας. οὗτος ἔγραψε μετάφρασιν τῶν Ἀράτου φαινομένων, καὶ τέχνην γραμματικὴν Ῥωμαϊκῶς, καὶ περὶ τοῦ ἰδίου βίου.*

[2]) Suet. l. l. et Cic. Brut. cap. 75. Hirt. de bell. Gall. l. VIII prooem. Moneri potest apud Suet. l. l. lectionem a Paldamo probatam: *Cicero in eodem Bruto sic refert:* ferri non posse, cum Cic. unum tantum librum Bruti nomine inscripserit, cui subditus alter titulus adjicitur: *de CLARIS oratoribus.* Praeferenda igitur est lectio *in eodem libro* quam alii amplexi sunt; *Bruto* quod quidam codd. habent, cum librorum inscriptionibus laudatis praepos. *in* addi soleat, minus placet.

CAROLO ZUMPTIO

VIRO INGENIOSISSIMO

DEQUE LITTERIS EXIMIE MERITO

HUNC LIBELLUM

SUMMAE OBSERVANTIAE GRATIQUE ANIMI

TESSERAM CONSECRAVIT

A. K.

Caesaris aliaque scripta, quae noster nec nominat, nec videtur adhibere potuisse [14]). Quae affert Caesaris *voces* et *dicta*, ea ex aliorum libris hausta putanda sunt [15]). Reliquorum vero auctorum primum nominandus videtur *M. Tullius Cicero*, cujus epistolis in Julii vita nititur, praeterquam quod ex Bruto librisque de officiis aliqua transscripsit [16]). Sed dubitari ne-

---

[14]) Caes. orat. pro Decio Samnite Dial. de oratt. c. 21, ubi etiam ejus *carmina*, in bibliothecas relata commemorantur; extant Caes. sex versus in Terentium in Terentii vita extrem. Oratio pro Bithynis, ex qua Gell. V, 13 pauca tradidit. *Oratio, qua Plautiam rogationem suasit* Gell. XIII, 3. *Caesar in Auguralibus* Priscian. VI, p. 719 ed. P. *Caesar sextodecimo auspiciorum libro* cet. Macrob. Saturnaliorum l. I, c. 16.

[15]) Cap. 22. 31. 32. 34. 59. 66. 67. 70. 74. 78. 79. —

[16]) Cap. 9: *Cicero in quadam ad Axium epistola* cet. Periit epistola. Axii nomen aliunde, nisi ex lapidibus, notum interpretes negant. En Gellius N. A. VII, 3 citat epistolam, quam Tiro Tullius, Ciceronis libertus, scripsit ad Quintum Axium, in qua Tiro M. Catonis pro Rhodiensibus in senatu habitam orationem reprehenderat. Discimus etiam ex Gellio, Quintum illum Axium Ciceronis familiarem fuisse, unde hominem illum prorsus eum esse dixerim, quem nominat Suetonius. — Cap. 55 ep. ad Cornelium Nepotem, in qua Cicero de Caesare oratore judicat; noster pauca inde rettulit. Periit tamen, quod sciam, ipsa epistola. — Cap. 49: *Cic. — in quibusdam epistolis.* — Cap. 55 et 56 afferuntur quaedam ex Bruto, quae paene ad verbum congruunt. — Cap. 30: *Cic. de officiis lib. III.* — Cap. 42 extr. *ut Cic. scribit* quae verba multi ejici voluerunt. Non autem addere debebat Paldamus, Suetonium *in auctoribus nominandis parcissimum esse*; saepius enim auctores nominat quam solent veteres. Plutarchus in Caesare septem tantum auctores nominatim affert; a Tacito in Hist. et Annal., hi tantum, quod sciam, auctores nominantur: *Corbulo* ann. XV, 16. — *C. Plinius* ann. I, 69; XIII, 20; XV, 53; histor. III, 28. — *Fabius Rusticus* ann. XIII, 20. XIV, 2. XV, 61. — *Cluvius* ann. XIII, 20; XIV, 2. — *Agrippina* ann. IV, 53; — *Vipstanus Messalla* hist. III, 25 et 28. Ceterum meminit hominum, qui historici fuerunt, sed auctores eos non dicit. Saepius etiam alios se habuisse auctores significat. —

quit, quin et orationes Ciceronis, imprimis Philippicas, adhibuerit [17]), cum Grammaticus eas legisse putandus sit, et multa a Tranquillo tradita, cum iis consentiant. Omittimus autem locos singulos laudare, cum interpretes ad Suetonianas vitas munus hoc jam susceperint. Illud vero admonendum est, utrumque maxime consentire; et quos quaeso integriores fontes sequi potuit, quam Ciceronis epistolas et orationes? Atque tenendum est illud potissimum, ubicunque Suetonii fontes supersint, accurate eum illos secutum apparere, ut inde conjecturam facere possimus in fidem, qua fontes, nunc quidem deperditos, secutus esse videatur. Ciceronem excipiat *C. Oppius*, quem Cassii, Scipionis Africani, C. Marii, Cn. que Pompeji vitas scripsisse docti homines docuerunt [18]). Deinde eum etiam Caesaris vitam scripsisse, Heerenius, ut ipse ait, concludit, cum illius comes fuerit, ac Plutarchus bis [19]) ad ejus aucto-

---

Denique cf. c. 17; 20; 50 in Caes. — In Tib. c. 7. verbo tantum commemorat Cic. ad Atticum epistolas. Ex Cic. ad M. Titinium ep. deperdita nonnulla transscripsit de clar. rhet. c. 2; item ex Cic. Philipp. secunda de clar. rhet. c. 5. —

[17]) Ciceronis Philippicas (additamentum habent subditum *in M. Antonium*) adhibuit etiam Plutarchus, quamquam caute; cf. Heeren de f. Pl. pag. 177 extr.

[18]) Vossius de hist. Lat. p. 67. et Corte in fragmentis historicorum (in ed. Sallust.) p. 74 nec omnia nec satis accurate Oppii scripta commemorant. Charis. l. I p. 119 ed. Putsch. *Vulgu hujus vulgu. Oppius de vita Cassii. Idem de vita prioris Africani opinante.* Heeren de f. Pl. p. 163 perperam eum *Crassi* vitam scripsisse dicit. — Gell. N. A. VII, 1 init.: *C. Oppius et Julius Hyginus, aliique, qui de vita et rebus Africani scripserunt.* Plin. H. N. XI, 45: *C. Marium, qui septies consul fuit, stantem sibi extrahi passum* (varices) *unum hominum Oppius auctor est.* At hunc locum non satis certum testimonium dixeris, quamvis doctis ita visum sit. De vita Pompeji cf. Heeren.

[19]) At Plutarch. in Caes. cap. 17 ὥς δ' Ὄππιός φησι.

ritatem provocet, omninoque in virorum illustrium vitis describendis laudem quaesiverit [20]). Sed si quid est in his rebus manifestum putandum, certior res est sine dubio de Caesaris Oppiana vita, quam de reliquorum. Haec enim scriptorum veterum non uno loco nec minus diserto, ut reliquae, nititur, sed praeter Plutarchum etiam Suetonius bis eam videtur intelligere [21]). Scripsit is praeterea Suetonio teste librum peculiarem *Non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat* [22]). Plutarchus, ut Heerenius refert, Oppio de Caesaris adversariis loquenti, quippe qui in gratiam Caesaris scripsisset, non nimiam monet adhibendam esse fidem [23]). Suetonium tamen videmus bis laudato Oppii auctoris

---

Tum eodem cap. extr. *"Οππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι.* Semel tantum igitur testis profertur.

[20]) Cf. Heeren de font. Plut. pag. 187 extrem. qui eorum, quorum libris uti licuit, primus de Caesaris vita Oppiana dixit.

[21]) Cap. 53. *Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiae aut rusticitatis videretur arguere.*

cap. 72. *Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti se per silvestre iter correptoque subita valetudine, et deversoriolo, quod unum erat, cesserit, et ipse humi ac sub diva cubuerit.*

Non possumus adduci eo, ut credamus (id quod Vossius incertum dicit esse, fortasse quia Caesaris vitae omnino non meminit), primum locum (c. 53.) ex eo libro desumptum esse, quem Oppius edidit: *Non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat.*

[22]) In Caes. cap. 52. — Macrobius Saturnal. l. II c. 14 et 15 et Festus (ex ed. Andr. Dacerii pag. 312 v. 16) Oppii cujusdam librorum meminerunt. Fortasse tamen intelligendus est Oppius Chares Grammaticus, de quo Suet. de ill. Gramm. c. 3. —

[23]) De f. Pl. p. 163.

nomine ea referre, quae ad domesticam et familiarem vitam pertinent, non quae contra Pompejum dicta sunt; in quo videtur optimum sane testem secutus esse, Caesaris amicum et comitem. Nec vero abhorrent ista a verisimilitudine, si, quae de Julii comitate praeterea refert, additis auctorum nominibus, apud animum reputare velis. Omnino autem noster Pompeji non copiosam mentionem fecit. Sed quemadmodum Oppius apud Caesarem plurimum valebat [24]): ita etiam *Cornelius Balbus*, qui uno tantum loco laudatur testis, in re non sane magni momenti, ubi de prodigiis ante Caesaris caedem factis loquitur [25]). Unico autem isto loco nitens Heerenius Balbum de Caesaris vita ac rebus gestis scripsisse contendit, cui licet fortasse assentiendum videatur, tamen de Oppiana Caesaris vita, testimoniis examinatis, res multo certior est [26]). Deinde *Auli Hirtii*, cujus mentionem supra injecimus, utitur testimonio de Caesaris commentariorum praestantia, quod legitur in prooemio ad librum belli Gallici octavum, unde etiam Caesaris eum vitam usque ad caedem per-

---

[24]) Frequens ejus mentio fit apud Cic. in ep. Cf. ad fam. VI, 8. Gell. XVII, 9. Tac. ann. XII, 60: *C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare.*

[25]) Cap. 81: — *inventa est* (tabula aenea) *conscripta litteris verbisque Graecis, hac sententia: Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore, ut Julo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiae cladibus vindicaretur. Cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Caesaris.*

[26]) De f. Pl. p. 187. — Cortius Balbum omisit. Macrob. Saturn. III, 6 extr. *et Cornelius Balbus κατὰ διαστολὴν libro octavo decimo ait apud aram maximam observatum ne lectisternium fiat.* Balbi Ephimeridem Sidonium ep. l. IX, 14 laudare Vossius de h. L. p. 66 ait.

scripsisse discimus [27]). Hunc excipiat *L.* [28]) *Tanusius Geminus*, qui cum aliis affertur testis, ubi Caesar cum M. Crasso, P. Sulla et P. Autronio conspirasse traditur, ac paulo post eadem plane in re solius ejus testimonio Tranquillus nititur [29]). Laudatur a Suetonio ejus historia, a Seneca in epistolis annales; qui libri sintne diversi putandi nec ne, ad dijudicandum difficile fuerit, cum non semper illud historiarum annaliumque discrimen observetur, sicuti apud Graecos inter συγγραφεῖς et ἱστορικοὺς non ubique discernitur. Cum laudetur a Seneca, intelligitur jam, quo fere tempore vixerit. Nihil tamen de ejus scriptis superest, nisi quod Tranquillus et Plutarchus inde in Caesare afferunt [30]). De auctoritate Tanusii pro certo aliquid

---

[27]) Suet. Caes. c. 56. Nec Suetonius nec alius quis ejus vitae meminit; silet etiam Cortius. Cf. Voss. p. 66 d. h. L. — Hirtium et Balbum auctores Plutarchus non diserte nominat, cf. Heeren pag. 187.

[28]) Addidimus praenomen *L.* ex uno Torrentii codice, quem integris libris mss. usum esse constat. Codices vero ad Suet. male collatos esse, multi jam sunt conquesti.

[29]) Cap. 9. bis.

[30]) Suet. l. l. — Plutarchus in Caes. c. 22: *Γανύσιος δὲ λέγει, Κάτωνα* sqq. Annotavit Fr. Schmieder (ed. a. 1804): *Pro Γανύσιος lege cum cod. Vulc. et Casaub. ad Suet. Jul. c. 9. Τανύσιος.* In textu ed. Coray est *Γανύσιος* (tom. IV p. 285), in not. crit. p. 480 afferuntur *Τανύσιος*: *Κανύσιος*. — Heeren de font. Plut. p. 188: *Quod ad Graecos attinet, consultavit Strabonis historias —; praeterea Canusium quendam seu Ganusium, de cujus ne nomine quidem satis constat.* At nec ex Plutarchi verbis nec aliunde quo consequitur, istum hominem aut Graecum fuisse, aut Graece scripsisse. Tanusii Suetoniani prorsus immemor est. Dubium profecto non est, quin scribendum sit *Τανύσιος*, ut praeter Casaub. aliosque voluit et Voss. de h. L. p. 59, intelligendusque ille ipse, de quo nunc sermo est, homo sine ulla dubitatione Romanus. Quanquam Voss. de hist. Graecis p. 477 Canusium sive Ganusium enumerat, omittens Suetonium. Plutarchi locum ad nostrum Tanusium recte etiam Cortius rettulit pag. 70.

statuere, haud facilis res est; non tamen spernendus auctor videtur fuisse, quod attinet ad rerum traditarum fidem, quae hoc loco unice spectanda est. Seneca autem aliique de ejus annalibus — fortasse historia, quam vocat Suetonius — male sentientes, appellantesque parum decoros, videntur de orationis praestantia, non de fide judicasse [31]). Tum *M. Actorius Naso*, aliunde nobis ignotus, bis citatur testis, primum una cum Curione, conspirasse Caesarem cum Cn. Pisone adolescente, deinde solus, ubi illum etiam reginas dilexisse relatum est [32]). Sequatur *M. Brutus*, semel auctor de Caesaris impudicitia appellatus [33]). Scripsit Plutarcho teste epistolas ad Pergamenos, ad Samios, ad Ciceronem, ad Atticum, aliosque, quarum aliquae sunt inter Ciceronis epistolas. Lectae sunt fortasse maximam partem a Plutarcho, sed jam tum subditae nonnullae habebantur [34]). Unde noster hauserit illud, quod Bruto teste nominato enarrat, quis est, qui velit contendere? Sed cum de Bruti scriptis jam alii copiosius disseruerint, cumque omnino non ita comparata fuisse videantur, ut ad vitam hanc conscribendam Tranquillus magnum ex iis fructum percipere potuerit,

---

[31]) Seneca in ep. 93: *Annales Tanusii scis, quam non decori sint, et quid vocentur; aeque est vita quorundam longa, et quod Tanusii sequitur annales.*

[32]) Cap. 9: *Idem Curio, sed et M. Actorius Naso auctores sunt,* et cap. 52 *ut Naso scripsit.* Non meminit ejus Heerenius; Cortius primi tantum loci; Voss. p. 691 de h. L. non habet plura.

[33]) Cap. 49: *ut M. Brutus refert.*

[34]) Heeren de f. Pl. p. 172. Praeterea Sosip. Charis. l. I. p. 105 Bruti ad Caesarem epistolam laudat. — Diomed. l. I. p. 383 *Brutus in epistolis.* — Priscian. l. IX p. 863 ed. Putsch. *Brutus in epistolis: Occiso C. Caesare postquam mare transierat, praestatum est.*

librorum titulos tantum attulisse sufficiat. In epitomen redegit ad suum usum Fannii annales et Coelii historiam; confecit etiam Polybiana excerpta. Dixit pro rege Dejotaro coram Caesare; Appium Claudium socerum cum Hortensio defendit, laudavitque mortuum pro rostris. Commemoratur etiam concio post necem Caesaris habita, videturque declamationem de Cn. Pompeji dictatura scripsisse; Philosophicorum librorum afferuntur de virtute, de officiis, de patientia. Versus ejus dicuntur a Plinio lascivi, inque dial. de oratt. reprehenduntur. [35]) Aequalis Caesaris fuit *C. Memmius*, ad cujus auctoritatem Tranquillus de Caesaris libidine agens provocat [36]): Est frater L. Memmii, quem parum novimus, pater fuit fortasse C. Memmius Gallus, qui Laelio Caepione Coss. tribunus plebis legem tulit de reis. C. ille Memmius, quo de nunc agitur, fuit quaestor, tribunus plebis, praetor, petivitque consulatum, vir acer, dicente Sallustio, et infestus potentiae nobilitatis, cujus faeundia clara pollensque fuit; etiam Cicero, cujus ad hunc tres extant epistolae (l. XIII init.), mordacem eum appellat. Accusavit autem multos, referente Cicerone, quorum unum tantummodo nos scire L. Calpurnium Bestiam statuit Ellendtius, immemor Suetonii, qui illius in Caesarem orationes asperrimas commemorat, quibus Caesar non minore acerbitate rescripsisse dicitur [37]). Inde licebit fortasse conjicere, quae noster

[35]) Plura apud Ellendt. in prolegom. ad Cic. Br. p. 127—130. Voss. p. 28 et 68.

[36]) Cap. 49. — C. Memmii oratt. c. 73. Laudatur praeterea c. 23 et de ill. Gramm. c. 14. C. Memmius consularis in Calig. c. 25 alius est.

[37]) Ellendt. l. l. pag. 60—62.

auctore C. Memmio de Caesare affert, ex orationibus in Caesarem habitis desumpta esse [38]). *Titum Ampium* semel auctorem exhibet, ubi Caesaris de republica voces impotentiores affert [39]). Sed quid scripserit ille, eo magis incertum est, cum praeter Suetonium nemo eum testem appellet. Fortasse tamen est idem, qui Cicerone consule tribunus plebis fuit [40]). *C. Curio* pater, Ciceronis amicus, quattuor locis nominatur, quibus omnibus ejus orationes fortasse intelligendae sunt, bis enim illae diserte commemorantur. Una tamen cum Tanusio, Bibulo, Cicerone, Actorio Nasone testis dicitur de Caesaris conjurationibus [41]); deinde de Caesaris impudicitia, ubi plures alii proferuntur [42]); semel etiam cum Curione filio [43]); Curioni tamen pa-

---

[38]) in Caes. c. 49: *C. Memmius objecit.* — Fuit Ciceronis Pompejique amicus, infestus antea Caesari, post autem cum eo reconciliatus cf. de ill. Gramm. c. 14. — Memmii carminum meminit Ovid. in Trist., item Gell. XIX, 9; Merulae videtur noster C. Memmius esse. In vita Terentii c. 3, Q. Memmii pro se habita oratio laudatur; homo ignotus, unde Ellendt. *C.* scribi voluit. De ill. Gramm. c. 14 citantur C. Memmii de stupro codicilli ad Cn. Pompeji uxorem, quos afferimus, cum omiserit Ellendt. Ad C. Memmium Lucretius sex libros de rerum natura scripsit; cf. denique Cic. ep. ad fam. XIII, 1.

[39]) Cap. 77: *Nec minoris impotentiae voces propalam edebat, ut T. Ampius scribit: Nihil esse remp., appellationem modo, sine corpore ac specie. Sullam nescisse litteras, qui dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere, quae dicat.*

[40]) Voss. d. h. Lat. p. 726, Caesaris eum aequalem fuisse suspicatur. Cf. de T. Ampio Balbo tribuno plebis Vellej. II, 40, 4. Caes. B. C. III, 105. Cic. ad Att. VIII, 11; ad Div. I, 3; fuit praetor Ciliciae ante Lentulum. — Cic. ad Div. II, 16. Extant Cic. ad Ampium epistolae VI, 12 et X, 29.

[41]) Cap. 9 ter.

[42]) Cap. 49; 50; 52.

[43]) Cap. 50.

tri Suetonium multum tribuisse, ex ipsius verbis intelligitur [44]). Orationes ejus scriptas fuisse perspicitur, cum Cicero adspiciendas eas censeat [45]). Cicero etiam librum Curionis affert, in quo se cum Pansa et Curione filio colloquentem fecerat, multumque in Caesarem invectus res ab eo administratas reprehenderat [46]); hujus tamen libri Suetonius nullam mentionem injecit. Pauciora constant de *Curione filio;* nam eruditionis expers memoriam litteris celebratam non reliquit; sed videtur Tranquillus ejus aliquam orationem ante oculos habuisse [47]). Huic succedat *C. Asinius Pollio*, de quo licet Thorbeckius peculiari dissertatione copiose scripserit, tamen pauca quaedam admonenda judicamus, quae ad nostrum propositum facere videantur. Laudatur is uno loco testis de caussis, quibus adductus Caesar civile bellum contra Pompejum susceperit; affertur autem ita, ut Suetonium illi aliquid tribuisse appareat [48]). Videntur Asinii verba

---

[44]) Cap. 52: *Ac ne cui dubium omnino sit, et impudicitiae eum et adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem appellat.* Quo loco cum aliis legendum est: *Ac ne cui*, non *At* ut scripsit Paldamus codicum, ut ait, auctoritatem secutus, habetque uterque cod. Berol., a nobis collatus. Codd. in hac re nulla auctoritas est, neque *At* isto sensu Suet. usurpavit. Denique caussa a Pald. allata: quae ante narrarit Suet., ea se *audiendo* accepisse, quae nunc dicat litteris tradita esse, ista quidem mere ficta est.

[45]) Ell. proleg. p. 98—101.

[46]) Cf. Cic. in Brut. cap. 60. Ell. non meminit.

[47]) Ell. proleg. pag. 126. Suet. in Caes. c. 50: *et a Curionibus patre et filio, et a multis exprobratum est* cet. Cic. ad C. Curionem filium extant epistl. apud Cic. l. II init.

[48]) Cap. 30: *Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie caesos profligatosque adversarios prospicientem, haec eum ad verbum dixisse referens* rel.

desumpta esse ex ejus historia de bello civili inter Caesarem ac Pompejum gesto [49]). Laudantur etiam ejus historiae Romanae, quas decem et septem libris constare dicit Suidas; earum tamen, ut verbis utamur Thorbeckii, argumentum ignoramus, nisi idem sit opus, ac belli civilis, quod Caesarem inter et Pompejum gestum est, historia [50]). Sed praetereundum non est, inter Romanarum rerum scriptores Pollionis magnam auctoritatem fuisse [51]). Tum noster eum in Caesaris vita bis laudat, primum Caesaris afferens orationem apud milites in Hispania, quam Asinius cum Augusto subditam judicavit, deinde ubi de Caesaris commentariis loquitur [52]). Haec de Asinio sufficiant. Sequatur *Q. Aelius Tubero*, L. Tuberonis filius, Q. Tuberonis nepos, A. U. 743 consul; historias, quae laudantur ubique, atque ab urbe condita inceperunt, a patre Lucio, cujus meminit Cicero, inchoatas, ad sua usque tempora videtur perduxisse [53]). Suetonius eum semel

---

[49]) Adhibuit hanc historiam etiam Plutarchus ut docuit Heeren. Is tamen p. 188 ita disseruit: *quae* (Pollionis historia) *tanto magis arridere debebat Plutarcho, quod Graece scripta esset.* At pag. 167 dixerat: *Pollio — quippe qui historiam belli civilis inter Pompejum ac Caesarem lingua latina composuerat.* Scripserat autem Latine, ut Thorbecke de As. Poll. p. 108 sqq. pluribus docuit.

[50]) Thorb. p. 112 et 119. Cf. Suet. de ill. Gramm. cap. 10.

[51]) Thorb. pag. 119 et 120.

[52]) Cap. 55 et 56. Nominatur praeterea in Aug. cap. 29 et 43.

[53]) In prooemio de historia conscribenda disseruerat, teste Nonio; exposuerat etiam de bello Punico primo, unde narratio de Regulo superest apud Gell. VI, 3 et 4. Librum quartum citat Sosip. Charis. l. 1 p. 181 ed. Putsch: *Inimiciter. Tubero historiarum quarto: inimiciter irascendum non est.* Hunc locum omisit Lachmannus de fontt. Livii. Librum quartum decimum laudat Nonius.

tantum profert de Caesaris agens hereditatibus [54]). Fuit autem Tubero historicus celeberrimus, inque conferendis historicorum testimoniis ac monumentis diligens. Laudatur auctor a Livio, a Dionysio autem familiari non injuria dicitur δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής. Fabulas interpretatus est ratione historica, tradidit etiam accurate de reipublicae institutis, fuitque vir in republica versatus, orator et jureconsultus [55]). Nominatim affertur praeterea *Augustus*, quem duas Caesaris orationes subditas censuisse, ac libellos quosdam, Laudes Herculis, tragoediam Oedipum, Dicta collectanea publicari vetuisse refert; hoc alterum Augustus vetuit in epistola ad Pompejum Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, brevi admodum ac simplici epistola, ut testatur Suetonius, ut eum litteras legisse appareat [56]). Fortasse etiam de orationibus istis Augusti judicium ex epistolis desumptum est, ad quarum auctoritatem, ut post videbimus, saepenumero provocat. Haec de Augusto sufficiant cum capitis alterius principio copiosius de eo disserendum sit. Nominantur porro *Dolabellae*

[54]) Suet. in Caes. c. 83: *Q. Tubero tradit, heredem ab eo scribi* cet. Fr. Lachmannus in priore de fontt. Livii commentatione pag. 41 incertum ait, sintne ista ex historiis Tuberonis deprompta, an ex libro, quem Gellio teste (VIII, 9) — at est VII, 9 — ad C. Oppium scripsit. Sed in comment. poster. pag. 27. rectius videtur opinari, ex historiis illa desumpta esse. Ceterum non est Suet. August. c. 83; sed Suet. Caes. c. 83.

[55]) De Q. Aelio Tuberone Voss. d. h. L. p. 56 cet.; Cortius p. 42 cet. Lachm. l. l. Q. Aelium Tuberonem a Lucio patre primus recte sejunxit. Gell. N. A. X, 28 (perperam Lachm. Gell. X, 18): *C. Tubero historiarum primo scripsit, Servium Tullium* sqq. Videtur ad nostrum referendum esse, cf. praeter alios Lachm. — Librum ejus *super officio judicis* laudat Gell. N. A. XIV, 2.

[56]) Cap. 55 et 56.

actiones de Caesaris impudicitia, et inde proferuntur pauca ut nostrum orationes legisse conjicere possis [57]). Deinde ad *M. Bibuli* et *M. Claudii Marcelli edicta* provocat, quorum Bibulus de ejus libidine et conjuratione cum Crasso, Sulla et Autronio dixerat; alter vero id spectaverat, ut Caesaris potentiam minueret [58]). Edicta autem ipsum legendo cognosse verisimile est, cum saltem ex Bibuli edictis pauca ad verbum referat, et epistolarum magister ejusmodi monumenta inspiciendi majorem etiam copiam habuerit. Parvum admodum libellum Bruti ἀπομνημονευμάτων a Bibulo confectum extare Plutarchus dicit, qui libro hoc usus esse Heerenio videtur [59]); sed ad Suetonii usum nihil profecto vel parum profuit. Praeterea affert *C. Licinii Calvi* oratoris versus et epigrammata, a multis non sine laude commemorata [60]). Etiam *Valerii Catulli* versiculorum obiter meminit [61]), et *Auli Caecinae* criminosissimo libro ac *Pitholai* carminibus maledicentissimis Caesaris existimationem laceratam fuisse tradit [62]). Auli autem Caecinae librum videtur etiam Cicero in epistolis commemorare [63]).

---

57) Cap. 49. Ad Dolabellam Cic. epist. sunt lib. IX.

58) Cap. 9 et 49 de M. Bibuli edictis; laudatur is praeterea c. 10. 19. 21. De M. Claudii Marcelli edictis cap. 28.

59) Heeren de f. Pl. p. 173. Coll. Voss. d. h. L. p. 85. — Cicerone teste M. Bibulus et scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, et egit multa constanter. Cic. in Brut. c. 77 et Caes. de B. Civ. III, 18 dicunt de Bibuli morte.

60) cap. 49 et 73. Cic. in Brut. 81. Ellendt. in proleg. p. 118—125. Epistolarum ejus a Grammaticis ed. P. frequens mentio fit.

61) cap. 73 coll. Catull. epigram. 29 cum interpp.

62) cap. 75 extr. De Pitholao Paldamus laudat Bendtl. et Heind. ad Hor. Sat. I, 10, 21.

63) Cic. ep. ad fam. VI, 5, 6, 7, 8; septima est Caecinae

Haec igitur sunt scripta, quae Suetonius auctorum additis nominibus laudat, quaeque se adhibuisse ipse testatur. Haberemus aliorum forsitan paucorum auctorum nomina, dummodo vitae hujus principium ad nos pervenisset.

Sequantur nunc illi, quos Suetonius ita affert, ut legeritne ipsa auctorum scripta, an ex historicorum aliorumve libris sua hauserit, discernere non queas. Ex hoc autem numero est *M. Catonis Uticensis* vox [64]), quam exhibet etiam Quintilianus: *Unum ex omnibus Caesarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse.* [65]). Deinde hunc Catonem ait, cum in Senatu de Catilinae sociis judicaretur, labantem ordinem oratione confirmasse [66]). Tum voces *Sullae* et *M. Anto-*

---

ad Ciceronem. Alias Caecinae liber intelligendus est in ep. 6: *In Caesare haec sunt: mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclaro illo libro Querelarum tuarum.* Cic. ep. XIII, 66 Caecinam Servilio commendat.

[64]) Cap. 53: *Verbum M. Catonis est: Unum ex omnibus* cet. Offendat in vulgata lectione oportet *verbum*, licet interpretes praeter Torrentium non haeserint. Ita enim pro *voce* in oratione pedestri non dicitur. Burmannus unum ait cod. habere: *M. Catonis verbum est,* cui accedit Berolin. cod. recentior, a nobis collatus, alterum praebere *M. Catonis est verbum.* Sed in Barthii membranis sane bonis omittitur *verbum* quod recte ejici voluit Torrentius. Ac simili modo Cicero in ep. ad fam. VII, 3: *Vetus est enim* (scl. *illud* vel *proverbium*): *ubi non sis, qui fueris, non esse, cur velis vivere.* Denique *Verbum* glossema esse ostendit haec lectio: *Uti M. Cato ait: Unum ex omnibus* cet.

[65]) Quintil. instit. orat. VIII, 2 §. 9: *ut Cato dixit: C. Caesarem ad evertendam rempl. sobrium accessisse.*

[66]) Cap. 14 coll. Sallust. Catil. c. 52. Tum cf. Suet. in Caes. c. 19. 20. 30. Sed ubique prorsus incertum est, legeritne Catonis scripta, an aliunde res hauserit. Cato Uticensis orator non valde excelluit; Ell. proleg. p. 126. Ciceronis ad Catonem et hujus ad Cic. ep. lib. XV, 3 sqq.

sui, quas tamen ex historicis desumptas esse, probabilius videtur [67]).

Ceterum Suetonius pluribus locis auctores significat, dicens *esse qui tradunt*, *opinari nonnullos* cetera; sed quos singulis istis locis secutus sit, Euhemeri indagent [68]). Faciendum tamen est, ut quos praeterea auctores habere potuerit, breviter hoc loco nominemus. Lubrica certo et spinosa est via, unde fructum non sane magnum percepturos nos fatemur, ac fortasse nullum, nisi ut, qui illorum temporum minus noti scriptores sunt, nominando memoriae saltem reserventur, indeque perspiciatur non ubique posse certos auctores appellari, quos Suetonius secutus sit.

Plutarchus in vita Caesaris, ut refert Heerenius, auctores nominat ipsum Caesarem, C. Oppium, Asinium Pollionem, Tanusium, de quibus jam supra diximus, deinde Livium, Strabonem, denique de conjuratione et caede Caesaris dicens *Empylum* Graecum, Bruti familiarem, qui peculiarem de Caesaris caede librum Graeco, ut videtur, sermone composuerat [1]). Sed de his partim jam dictum est, partim post dicetur. Latinorum autem scriptorum primum nominandus videtur *L. Cornelius Sulla*, qui, ut ante Aemilius Scaurus, Rutilius Rufus, Lutatius Catulus aliique, libris viginti duobus scripsit de vita sua. [2]) Deinde *L. Otacilius*

[67]) Sullae c. 1. Anton. c. 52.

[68]) Cf. cap. 20. 30 bis. 33. 45. 52. 54. 78. 86 sqq.

[1]) Heeren de f. Pl. p. 173 et 188.

[2]) Adhibuit eum Plutarchus, ut ait Heerenius pluribus locis. Is tamen p. 151 de Sullae vitae libris: *Continebantur historiae suae XXII libris; libro enim vigesimo secundo eum immortuum esse, quem libertus Epicadus explevit, testatur Suetonius de ill. gramm.* At Suet. l. l. c. 12 haec tradidit: *Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum relique-*

Pitilus, de quo ita Suetonius: *Cn. Pompejum Magnum docuit, patrisque res gestas nec minus ipsius, compluribus libris exposuit: primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, nonnisi ab honestissimo quoque scribi solitam* [3]. *L. Cornelius Sisenna* scripsit historias, quarum librum duodecimum laudat Priscianus [4]. Annales scripserunt *Q. Hortensius Ortalus*, et *T. Pomponius Atticus*, qui etiam ut Varro et Messala Corvinus de Romanis familiis scripsit, deque Ciceronis consulatu librum Graece composuit [5]. *M. Tullius*, quem scimus in animo habuisse et historiam et Geographica scribere, trium librorum carminibus Latine confectis consulatum suum celebravit, denique, relictis ceteris, scripsit de Caesaris actis [6]. Ut mittamus alios, *Volusius* iisdem fere tem-

---

rat, ipse supplevit. Contra Plutarchus in Sulla cap. 37 pag. 475 ed. Francof. *ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς· τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων, πρὸ δυεῖν ἡμερῶν ἢ ἐτελεύτα, γράφων ἐπαύσατο.* Tum quod eodem loco Heerenius tanquam rem certam affirmavit, Sullam libros de rebus suis Graece scripsisse, cum ejus rei ex tota antiquitate ne minimum quidem vestigium supersit, non est, cur credamus; atque Vossius de h. L., quem p. 39 testimonia collegisse dicit, nec hujus rei nec Plutarchiani loci ullam mentionem injecit. Priscianus l. IX p. 864 ed. Putsch: *Sylla in XXI rerum suarum.* Ipsum Sullam librum plurimi aestimasse resque in eo verissime perscripsisse suspicatur Blum: Einleitung in Rom's alte Geschichte pag. 132. Epicadi meminerunt Sosip. Charis. l. I p. 85 et Maximus Victorius p. 1957 ed. Putsch. A Charisio nominatur Epicadius.

3) Suet. de clar. Rhet. c. 3.

4) Voss. p. 42. Corte p. 59, qui multa fragmenta habet; Cic. de legg. I, 2 sqq.

5) Voss. p. 48; Corte p. 68. De Hortensio Vellej. Paterc. II, 16, 3, qui unus testis est, coll. Cic. ad Att. XII. 5.

6) Voss. pag. 51 sqq.

peribus confecit annales, reprehensos quidem a Catullo propter scribendi rationem, ut videtur, non ob fidem [7]). *Procilius*, fragmentis testibus, Pompeji meminerat [8]); *Furius* dicitur annales confecisse carmine [9]); atque historicus fortasse putandus est etiam, cujus Vossius mentionem non disertam fecit, *C. Aelius Stilo* [10]); nomine etiam commemorandus est *Cornelius Nepos*, qui capite insequenti laudabitur. Adhibere potuit *Sallustii* scripta, imprimis conjurationem Catilinariam. Verum quae Sallustius de Catilinae conspiratione litteris consignavit, ea a Suetonii narratione non valde abhorrent; exigua autem illorum diversitas neutri est imputanda, sed variae famae tribuenda [11]). Suetonius autem isto loco quinque auctores nominatim protulit. Annales scripsit *M. Terentius Varro* [12]); etiam *Hostium* annales versibus composuisse, bellumque Histrium perscripsisse scimus [13]). Tum *M. Tullius Tiro*, qui patroni epistolas collegit ejusque vitam descripsit, testis laudatur a Plutarcho [14]). *P. Volumnius* philosophus proelii, cui ipse interfuit, a Bruto Cassioque contra Caesarem et Antonium gesti, historiam Plutarcho teste consignavit;

---

7) Voss. pag. 60.

8) Voss. pag. 60.

9) Voss. pag. 61.

10) Voss. pag. 60 de Procilio disserens laudat Varronis verba, ubi post Procilium et Pisonem laudatur C. Aelius Stilo. Suet. de ill. Gram. c. 3 nominatur L. Aelius Stilo, Grammaticus, Ciceronis aequalis.

11) Suet. c. 9. Sallust. Catil. 18 et 19. Sallustium saepius adhibuit Plutarchus; cf. Heeren in indice.

12) Voss. p. 54; Corte p. 68.

13) Voss. p. 78; Corte p. 73. Hostii annalium Vossius non meminit.

14) Voss. p. 84. Heeren de f. Pl. p. 184 et 186. Cic. ep. XVI, 17 dicitur Ciceronianorum scriptorum κανών.

Vossio videtur Latine scripsisse; Heerenius, quod Graecae linguae peritus fuerit, Graeco eum sermone res enarrasse suspicatur [15]. *Anser* poëta M. Antonii triumviri amicus, auctore Servio ejus laudes scripsit [16]. Proferendus etiam *T. Livius*, cujus historias nostrum legisse admodum probabile est [17]. *Q. Dellius*, Antonii comes, Parthicam ejus expeditionem perscripsit; consuluit eum Plutarchus, Suetonius vero nusquam aut perraro [18]. *L.* deinde *Fenestella* Augusti Tiberiique aequalis, condidit annales, quos adhibitos a Tranquillo verisimile est, cum in Terentii vita ejus testimonium afferat, narretque in Caesare aliqua, quae in Fenestellae fragmentis occurrunt, veluti narratio de Caesare a piratis capto, quae legitur apud Suet. in Caes. cap. quarto. Adhibuit eum Plutarchus, et a Lactantio dicitur diligentissimus scriptor [19]. *Vellejus Paterculus* de Cornelia, altera Caesaris uxore dicens, pauca verba habet, quae inveniuntur etiam apud Suetonium [20]. Atque est credibile maxime, nostrum

---

15) Voss. p. 85. Heeren p. 174. Cf. Cic. ep. ad fam. VII, 32 et 33 et IX, 26.

16) Voss. pag. 85.

17) Suet. ter Livii meminit, quamquam non ut auctoris: in Calig. 34. Claud. 41. Domit. c. 10. Livianas historias consuluit etiam Plutarchus. De Livio apud Tacitum ita Cremutius Cordus (IV, 34 Ann.): *Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus imprimis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret: neque id amicitiae eorum offecit.* Sed Tacito copiosius magna cum diligentia de fide Livii disputavit Fridericus Lachmannus Gottingensis.

18) Heeren de f. P. 181. Voss. de hist. Graec. p. 477.

19) De Fenestella cf. Suet. in Terentii vita c. 1 init. Heeren de f. Pl. p. 146. 152. 159. — Voss. p. 100. — Cortius pag. 68—70.

20) Suet. in Caes. c. 1 init: *neque, ut repudiaret, compelli a Dictatore Sylla ullo modo potuit.* Vellej. II, 41: *cujus filiam,*

historias illas consuluisse, quamvis diserte professus non sit, nec ullam ejus mentionem injecerit. Nomine tenus afferendus *L. Annaeus Florus*, Suetonii aequalis, quem extremis Trajani temporibus scripsisse jure conjicitur. Denique si non certa prorsus, at oppido verisimilis est opinio, nisum Tranquillum illis libris, quos in imperatorum Claudii Galbaeque vitis commemorat. Duo sunt ipsius *Claudii* libri, de quibus Suetonius in Claud. cap. 41 ita rettulit: *Historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adjuvante, scribere aggressus est. — In principatu quoque et scripsit plurimum, et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumpsit historiae post caedem Caesaris Dictatoris. Sed et transiit ad inferiora tempora, coepitque a pace civili, cum sentiret neque libere neque vere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus saepe et a matre et ab avia. Prioris materiae duo volumina, posterioris unum et quadraginta reliquit.* Et in Galbae capite tertio ita: *Avus* (Galbae) *clarior studiis, quam dignitate: non enim egressus praeturae gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit.* Legisse certe illos libros Suetonium, ex ipsius verbis cognoscimus. Hunc autem *Sulpicium Galbam* historicum etiam a Cornelio Nepote significari, recte Vossius judicavit [21]); sed Livius, quantum judicare possumus, historias ejus non consuluit [22]).

---

ut repudiaret, nullo metu compelli potuit. Suetonii ista verba putanda subdita esse, id quod quibusdam in mentem venit, quod eadem verba apud Vellejum occurrant: quam parum firma sit ratiocinatio, cum plures ejusmodi loci apud Suetonium inveniantur, facile intelligitur.

[21]) Voss. de h. Lat. p. 92. Secutus est Sulpicium Galbam Cornelius Nepos in Hannib. c. 13.

[22]) Lachmannus p. 43 commentat. prioris: *Sulpicii Gal-*

Hi igitur sunt Romani scriptores, quos Suetonius vel adhibuit, vel adhibere potuit. Etiam Graecos eum secutum esse, et suspicari possumus, et ipse diserte profitetur, cum Caesaris ex Cleopatra genitum filium nonnullos Graecorum et forma et incessu similem quoque Caesari tradidisse dicat [1]). Dignum est autem, quod commemoretur, a Suetonio nusquam prorsus, nec in Caesaris, nec in aliorum vitis fragmentisve, quae Suetonii nomine circumferuntur, Graecos homines testes laudari [2]). Nec vero id nostro est imputandum, licet in eum non satis quadrare videatur Polybii illud: *Ἐπιχώριοι γὰρ οὐ μόνον τὰς τῶν ἀνέμων στάσεις, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν ἐγχωρίων ἀνθρώπων ἤθη κάλλιστα γινώσκουσιν* [3]). Itaque cum noster Graecorum non magnam rationem habuisse videatur, paucos tantummodo Graecos scriptores, quos sequi potuerit, breviter nominasse sufficiat: *Posidonium Rhodium*, Ciceronis et Pompeji amicum, qui scripsit *τὰ μετὰ Πολύβιον* [4]); *Empylum* Marci Bruti, qui Caesarem interfecit, contubernalem, quem Plutarchus in Bruto et Caesare adhibuit, dicitque peculiarem de Caesaris nece li-

---

bae historiam prolixe ut videtur scriptam, quia recens erat scriptor, neglexisse videtur. Praeter l. l. addit Plutarch. in Romul. c. 17. Oros. V, 23.

[1]) cap. 52.

[2]) In August. c. 94. afferuntur quidem Asclepiadis Mendetis, qui dicitur, *Θεολογουμένων* libri, sed homo Graecus non est.

[3]) Polyb. l. IX cap. 25. §. 3.

[4]) Voss. de hist. Graec. p. 154. Posidonii historiam adhibuerunt Diodorus Siculus (cf. Heyne de Diodori fontt. in commentat. Gotting. Vol. VII p. 98 et 100 sqq.) et Plutarchus (Heeren pag. 122. 123. 139. 148. coll. pag. 158 et 162), et quantum videtur, etiam Trogus Pompejus cf. Heeren de Trogi Pompeji ejusque epitomatoris (excerptoris) Justini fontt. et auctoritate, in comment. Gotting. vol. XV pag. 234 cet.

bellum, Bruti nomine inscriptum, Graeco, quantum conjicitur, sermone confecisse [5]). *Diodorus* deinde *Siculus* ab antiquissimis temporibus usque ad annum ante Chr. n. sexagesimum res gestas memoriae tradidit [6]). A *Dionysio Halicarnasseo* condita est ἀρχαιολογία Ῥωμανική, sed nec integra ad nostram aetatem pervenit, itaque videtur comparata fuisse, ut noster inde ad suum usum aut nihil aut parum haurire potuerit. *Juba* rex (mittamus enim alia scripta) condidit ἱστορίας Ῥωμαϊκάς, quas inde ab urbe condita ad sua usque tempora videtur perduxisse [7]). *Nicolaus Damascenus* Herodi regis familiaris Augustique amicus de sua ipsius vita scripsit, omniumque gentium historiam centum quadraginta quattuor libris exposuit [8]). Laudatur autem testis a Plutarcho in Crasso et Bruto [9]).

Atque haec hactenus de scriptoribus. Existimandum est autem etiam ex fastis et actis similibusque publicis monumentis, et decretis Caesaris, cujusmodi fontes se profitetur disperse in reliquis vitis sequi, ad Caesaris quoque vitam conscribendam aliqua hausisse, licet se iis usum esse in hac vita non dicat, nominetque verbo tantum Senatus et publica acta, de quibus tertio capite disserere praestabilius erit. Statuas aedesque et alia monumenta quae vel commemorat vel de-

---

5) Voss. de hist. Graecis p. 162. Heeren de fontt. Plut. pag. 173 et 188.

6) De ejus fontt. cf. Heyne, qui nihil attulit quod huc faciat.

7) Voss. de hist. Graec. p. 175. De Romulo et Numa ac Sylla a Plutarcho testis exhibetur cf. Heeren de font. Pl. compluribus locis in indice conquirendis, imprimis tamen p. 144.

8) De librorum numero non satis constat cf. Voss. de hist. Graecis pag. 177.

9) Heeren de f. Pl. p. 158. 161. 175. Plura de eo vide in capite insequenti extremo.

scribit, sine dubio ipse vidit, inque aliis vitis de similibus aedificiis loquens, superesse ea ostendique interdum admonet. A majoribus natu id est ab iis, quorum patres Caesaris temporibus vixerunt, num audiendo aliquid, quod ad rem faceret, acceperit, ut in prooemio diximus, admodum ambiguum est, certe non saepe accidisse suspicari possumus.

Nunc nihil jam nobis videtur reliquum esse, nisi ut quo sit judicio fontes secutus, quamque studiosus res vere perscribendi fuerit, conèmur exponere. Praeterquam quod interdum rem satis constare affirmat[10]): auctorum etiam diversitates affert et nonnunquam dijudicat. Ita cap. 30 nonnullorum sententiam afferens, probabilem eam reddi ait Asinii Pollionis testimonio, quod quidem adjicit: et paulo post quod *quidam putaverant* videri etiam Ciceronem significare, cujus verba iterum adduntur. Cap. 33. opinionem vulgarem idonea de caussa refutat; cap. 52 multos testes laudat, pergitque: *ne cui dubium omnino sit.* Cap. 78 et 86 diversas scriptorum auctoritates simpliciter ponit. Gerlachius autem in ed. Sallust. tom. II pag. 200 de Suetonio ita statuit: *Ne Suetonii quidem contemnendum testimonium, quamvis etiamnum non pauci inveniuntur, qui ejus dictis fidem derogant. Sed quae de Caesaris moribus enarrat, eo minus suspecta esse videntur, quo accuratius scripta sunt. Cfr. Vit. Julii c.* 9 *et* 14, *ubi plures testes locupletissimi laudantur.* Etiam cap. 49 usque ad c. 56. permulti iique gravissimi auctores nominantur, ut mittamus locos, ubi optimi testes disperse, non passim laudati sunt.

---

[10]) Cap. 1 *satis constat.* C. 45 *fuisse traditur* cet.

CAPUT II.

AUGUSTUS.

Augustus ipse de vita sua scripsit, ut his verbis refert Suetonius: *prosa oratione composuit — aliqua de vita sua, quam tredecim libris Cantabrico tenus bello nec ultra exposuit* [1]). Citantur illi libri a pluribus, quorum Suidas eundem atque Suetonius librorum numerum laudat, sine dubio Tranquillum sequens, ex cujus scriptis plura etiam videtur hausisse [2]). Libros autem Latine scriptos fuisse, ex fragmentis constat. De iis tamen Heerenius: *num jam a natalibus*, inquit, *inceperint, ut pueritiam quoque ac juvenilem aetatem enarraverit, dicere non habeo* [3]). Et alio loco: *Incipit itaque sequi Caesaris Augusti auctoritatem, ubi adventus ejus in urbem post Caesaris caedem narratur; a quo ipse quoque, praemissis forte nonnullis de pueritia, incepisse videtur Caesar Augustus* [4]). At quae apud Suetonium in August. cap. 2 leguntur: *Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit:* ea equidem ex primo Augusti de vita libro deprompta arbitramur, praesertim cum ne Monumento quidem Ancyrano contineantur. Atque inest illud, nisi vehementer fallimur, etiam in Tranquilli verbis, Augustum vitam suam Cantabrico

---

[1]) Suet. in Aug. c. 85.

[2]) Suidas: *Αὔγουστος Καῖσαρ, Ὀκταουϊανὸς — περὶ τοῦ ἰδίου βίου καὶ τῶν πράξεων βιβλία ιγ', καὶ τραγῳδίαν Αἴαντός τε καὶ Ἀχιλλέως.* Plura vide apud Voss. de h. L. pag. 87 et Cort. pag. 74.

[3]) De font. Plut. pag. 147.

[4]) De font. Plut. pag. 179.

tenus bello, nec ultra exposuisse. Si primos aetatis annos non attigisset, Suetonius rem istam singularem procul dubio animadvertisset. Narravit igitur Augustus vitae primos triginta quinque annos; nam natus est Cicerone Antonio Coss., bellumque Cantabricum incepit Augusto sextum et Agrippa Consulibus. Adhibuit autem libros illos Plutarchus in M. Bruto, M. Antonio M. que Tullio [5]), nec vero Suetonius, ut modo luculentum fiet, pauca ex iis memoriae prodidit. Quod enim narrat: *Q. Gallium praetorem — jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis perisse:* locus, quantum judicari potest, ex libris de vita desumptus est [6]). Obloquitur autem Augusto, Junium fortasse Saturninum sequens, quem simili in re paulo ante testem nominavit, vel alios graves habens auctores, cum non sine caussa ab Augusto, quem alias sequatur maxime, dissentire videatur. Alia Augusti scripta ut proferamus, Suetonius in Aug. sub finem ita tradidit: *De tribus voluminibus uno mandata de funere suo complexus est; altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur; tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigalium residuis. Adjecit et libertorum servorumque nomina, a quibus ratio exigi posset* [7]). Eorum autem index rerum ab

---

5) Heeren de f. Pl. p. 147. 175. 178. 183. 186. — Sine ulla dubitatione etiam in Augusti vita deperdita.

6) Suet. in Aug. c. 27.

7) De tertio volumine ita Tacitus in Annal. I, 11 extr: —

ipso gestarum aliquam partem extat, quod dicitur Monumentum Ancyranum, fragmentum multis de caussis praestantissimum. Indicem autem hunc Suetonius, id quod contentione instituta cognoscitur, summa cum diligentia consuluit, ita ut res gestas non solum inde hauriret, sed etiam ad verbum non pauca transscriberet: atque nihil est omnino, quod in tabulis illis legitur, a quo noster discrepet. Nec vero id minoris est aestimandum, cum de religione, qua monumentum illud secutum nostrum videmus, in fidem ejus atque auctoritatem deperditis ipsis fontibus conjecturam facere queamus. Apparet autem desumpta inde esse, quae de bellis, de aedificiis, de ludis, de congiariis cet. tradidit [8]). Tertium librum, qui quidem non multum utilitatis no-

---

cum proferri libellum recitarique jussit (Tiberius). *Opes publicae continebantur: quantum civium sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones; quae cuncta sua manu perscripserat Augustus: addideratque consilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Dio addit quartum volumen, quod continebat providi senis Tiberio et reipublicae relicta praecepta bene gubernandi. Id praetermisit Suetonius, quod partem tertii potius, quam peculiarem librum esse credidit, quod ex Tacitianis verbis modo transscriptis intelligitur. Cf. Casaub. ad Suet.

[8]) Cf. in Aug. cap. 21. 22. 26. 34. 40. 41. 43. 45. 100 cet. Conscripsit autem Augustus hoc breviarum paucis diebus ante novissimum suum ex urbe discessum, ut docuerunt interpp. — Cap. 43 init: *Fecisse ludos se ait suo nomine quater; pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter et vigiens.* In Mon. Ancyr. tab. prima a dextra versu 35: *Ludos FECI. MEO. NOMINE. QUATER. ALIORUM. AUTEM. Magistratuum absentiUM. TER. ET. VIGIENS.* Utroque loco, quod raro fit, ad *quater* intelligendum est *vigiens* cf. interpp., sed possis inde videre, quam accuratus etiam in transscribéndo fuerit, quod quidem multis locis licet. Cfr. deinde, ut mittamus alia, quae eodem cap. Tranquillus de ludis refert, quae iterum cum mon. Ancyr. ejusdem tabulae versu 40 sqq. ad verbum paene congruunt.

stro afferre potuit, perisse prorsus dolendum est, cum de aerarii et fisci ratione magna obscuritas sit. Commemoratur deinde Augusti *testamentum*, copioseque de eo traditur; constabat propter rerum perscriptarum copiam ex duobus codicibus, fuitque ipsius ac libertorum Polybii et Hilarionis manu scriptum; nec dubitari ullo modo potest, quin Suetonius, quae tradidit de eo, inde deprompserit, praesertim cum in Tiberio hujus testamenti initium transscripserit [9]). Videntur nunc nominandae esse Augusti *epistolae*, ad quarum auctoritatem ita provocat, ut haud pauca inde accurate referat. Ter in Augusto epistolae ad M. Antonium laudantur, unde pauca quaedam transscripta sunt, primum de cognomine Thurino, quod pro opprobrio sibi objici Augustus miratus est, deinde de impudicitia, de qua ipse confessus est, denique de dicendi genere, quo usus esse dicitur [10]). De dicendi genere laudantur etiam pauca verba ex epistola ad Agrippinam neptem [11]); et de libidinibus ipsius nonnulla ex epistola ad Tiberium [12]). Tum ad L. Vicinium litterae commemorantur, ita tamen, ut num legerit ipse ignores [13]). Denique duobus locis *scripsisse* Augustum cet. ait, quod item ad epistolas referendum suspicamur [14]). Ex ce-

---

[9]) Suet. Aug. c. 101. Tacit. Annal. I, 8 et Dio item testamentum legerunt. Initium ejus est apud Suet. in Tib. c. 23; addit Casaubonus: *Nec mirum scriptorem hunc* (Suet.) *tabulas testamenti Augusti esse nactum, cum etiam Sosipater Charisius, tanto posterior natu, easdem habuisse videatur. Laudat ille ex Augusti testamento haec verba: Gausapes, lodices purpureas et coloreas meas.* Est in ed. Putschil pag. 80.

[10]) cap. 7. 69. 86. Tum Sosip. Charis. l. I p. 103 ed. P. *Augustus ad Antonium: fretu cessi.*

[11]) cap. 86 extrem. [12]) cap. 71. [13]) cap. 64.

[14]) cap. 42: *impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agro-*

teris [15]) Augusti scriptis afferuntur a Tranquillo: Rescripta Bruto de Catone: Hortatio ad philosophiam, pedestri oratione composita: liber hexametris versibus scriptus, cujus et argumentum et titulus fuit *Sicilia*: tum Epigrammatum modicus liber et Ajax tragoedia [16]). Denique edicta et Senatusconsulta commemorantur: ex edictis quidem nonnulla relata sunt [17]). Voces autem Augusti certo traditae ab aliis erant scriptoribus [18]), de quibus disserere jam incipiamus, ita tamen, ut quos in Julii vita auctores fuisse scimus, in censu hoc nostro primum proferamus. De C. Octavii patris dicens integritate et mansuetudine, qua socios tractaverit, provocat ad *M. Tullii* epistolas ad Quintum fratrem missas [19]). *Asinii* deinde *Pollionis*

rum cessaret, neque tamen perseverasse, quia certum haberet, post se per ambitionem quandoque restitui. Et cap. 74: *Ipse scribit, invitasse se quendam, in cujus villa maneret, qui speculator suus olim fuisset.* Praeterea in Caes. c. 56 extr. laudatur Augusti ad Pompejum Macrum epistola; in vita Horatii Augusti litterae ad Maecenatem et Horatium. Etiam in Tib. et Claud. epist. commemorantur. — Quintil. instit. orat. I, 7 §. 22: *Quod idem* (*heri;* non *here*) *in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur.* Coll. Gell. N. A. X, 24. — Quintil. I, 6 §. 19 Aug. ad C. Caesarem epist. commemorat. — Gell. XV, 7 D. Augusti ad C. nepotem epistolam transscripsit. — Priscian. l. X p. 901 ed. P. *Caesar ad Virgilium.*

[15]) Plutarchus commemorat etiam laudationem Marcelli; Heeren pag. 124.

[16]) Suet. cap. 85. Plura etiam Augustus scripserat; nam Tranquillus: *Multa varii generis prosa oratione composuit.* Cf. in Tib. et Claud. Tranquillus Grammaticus plurima, ipse legit cf. in Aug. cap. 86—89.

[17]) Edicta cap. 28 et 44. — S. C. cap. 57: *Omitto S. C., quia possunt videri vel necessitate expressa vel verecundia.* Leges (cap. 34) fortasse item legit.

[18]) Aug. cap. 25. 33. 40. 42. 51. 53. 54. 56. 58. 64. 65. 67. 71. 74. 76. 85. 86. 87. 92 cet.

[19]) Cap. 3.

meminit, sed ita meminit, ut num orationem aliquam ante oculos habuerit, an aliunde quo rem hauserit, discernere non queas [20]). His succedat *Julius Marathus*, Augusti libertus et a memoria ejus, bis laudatus de statura Augusti deque prodigio Romae ante principis natalem diem facto. Omnino autem animadvertendum illud, quemadmodum Romani nobiles vitam suam ipsi perscripserint: ita etiam interdum a libertis patronorum vitam ac res gestas memoriae proditas fuisse [21]). Pari modo etiam Marathus, quantum ex Suetonii verbis conjicitur, Augusti vitam confecit, minima quaeque enarrans, ut in rebus potissimum domesticis bonus nostro auctor fuisse videatur. Priore tamen loco de statura Augusti dicens, quod permirum est, dissentit ab isto, nisi fallimur, ut alios scriptores sequi putandus sit, nisi forte rem a majoribus natu audiendo acceperit [22]). Laudantur etiam *M. Antonii* epistolae, sae-

---

[20]) Cap. 43: *Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Aeserniní nepotis sui casum, qui et ipse crus fregerat.*

[21]) Idem contendisse video Casaubonum ad Vitell. cap. I., qui ibi Julium Marathum de Augusti rebus libros edidisse, idque Tranquillum testatum esse dicit. At res ex Suetonii verbis conjicitur potius. Affert tamen locum non inutilem Spartian. in Hadrian. c. 16: *Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae scriptos a se, libertis suis litteratis dederit, jubens, ut eos nominibus suis publicarent.* Ita etiam Q. Vitellius Eulogius, Q. Vitellii libertus, ut patrono gratificaretur, stemma Vitelliae gentis descripsit, eique librum nuncupavit. Denique, ut mittamus alios, memineris Tullii Tironis.

[22]) Cap. 79: *staturam brevem; quam tamen Julius Marathus libertus et a memoria ejus quinque pedum et dodrantis fuisse tradit.* Cap. 94: *Augustus et Julius Marathus* cet. Nec quicquam praeterea de eo constat. Prior locus corruptus est; nam codd. omnes habent *libertus etiam in memoriam ejus*, unde conjecit Casaub. *libertus in memoria vitae ejus*. At in memoria vitae (Claud. c. 1 extr.), *éloge*, nemo facile illud dicet.

piusque illum testem nominat, additis ejus verbis, plurimam partem, quantum suspicamur, depromptis ex ipsius litteris [23]). De iis tamen ita Tacitus Cremutium Cordum loquentem facit: *Antonii epistolae, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent* [24]). Itaque cum iis non raro Suetonius usus sit, videndum est, quomodo eas adhibuerit. Ac primum quidem cap. 2. Augusti paternam originem ab Antonio exprobratam ait, addens quod de ortu suo ipse Augustus rettulit, affirmansque nihil praeterea sese de paternis Augusti majoribus repperisse; deinde etiam materna Caesaris origo ab isto contempta traditur cap. 4, adduntur que Cassii Parmensis verba, qui acerbius aliquanto statuerat. Haec tamen ita afferuntur, ut ipse Tranquillus Antonii acerbitatem agnosse videatur, quod praeter alios locos, ubi appellatur Augusti inimicus (veluti c. 10. 17. 69.), apertius etiam intelligitur ex cap. 7, ubi Augusti infanti Thurini cognomen fuisse satis probis testimoniis comprobans adjicit, etiam ab Antonio eum Thurinum appellari, sed per contumeliam. Tum cap. 10 extr. *Priore* (proelio) *Antonius eum fugisse scribit, ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse.* Sitne verum nec ne, noster non dijudicat, sed sentiens, opinamur, parum auctoritatis Antonio esse, quantam insequenti proelio virtutem Augustus praestiterit, pluribus exposuit. Atque cap. 16 apertissime Antonii in Augustum acerbitatem odiumque ostendit, ac testimonium ejus rejicit. Cap. 63 simpliciter affert Antonii

---

[23]) Cap. 7. fortasse Antonii ad Augustum epistola intelligenda est; nam sequitur *et ipse* (Aug.) *rescribit.* — Cap. 70 *Ant. epistolae.* Tum cap. 2. 4. 10. 16. 17. 63. 68. 69 Antonii verba plerumque ex epistolis afferuntur.

[24]) Tacit. Annal. IV, 34.

verba, Augustum Antonio filio despondisse Juliam ect., nihil de suo judicio addens, quod ista in re fieri vix potuit. Cap. 68 de Augusti impudicitia una cum M. Antonio testes laudantur Lucius Antonius, Marci frater, Sextus Pompejus, ipse denique populus; et cap. 69 et 70 eadem de re epistola Antonii ad Augustum, quam tamen, id quod Suetonius rectissime sejungit et admonet, familiariter adhuc, necdum plane inimicus aut hostis scripsit. Denique adulteria eum exercuisse, Suetonius ait, ne amici quidem negant; ut, quin res vera sit, nullo pacto ambigi queat. Sed ut rem paucis comprehendamus, Tranquillus ubicunque Antonium testem nominat, aut simpliciter rem narrat, ut incertam eam relinquere videatur, aut justo istum acerbius de Augusto statuisse significat. Etiam Messalae istae Antonii epistolae tantopere bilem moverunt, ut contra eas Charisio teste librum conscriberet [25]). A Plutarcho Antonii Antiphilippicas laudatas et adhibitas scimus; Suetonius tamen earum ne minimam quidem mentionem injecit [26]). Nunc videntur appellandi *L. Antonius*, M. frater, et *Sextus Pompejus*, quos paulo ante jam attigimus, quorum uterque cum aliis de Augusti adulteriis testis affertur; sed acerbius videntur et invidiosius, ut M. Antonius, judicasse. Ceterum, si conjecturae locus est, ex epistolis ista forsitan desumpserit; M. Antonii certe voces similes ex ep. hausit [27]). Pertenuis autem extat memoria *C. Drusi*, quem testem uno loco ita exhibet, ut eum Augusti vitam descripsisse suspicari possis; saltem de infante Augusto tra-

---

[25]) Cf. Casaub. ad Aug. cap. 2.

[26]) Heeren de f. Pl. p. 177. Dedit etiam epistolas ad Atticum cf. Corn. Nep. in Att. cap. 20.

[27]) Cap. 68.

diderat [28]). Aequalem eum Augusti vel Tiberii Vossius opinatus est. Tum afferuntur quaedam ex *Cassii Parmensis* epistola, qui M. Antonio etiam invidiosius Augusti originem exprobarat. Ex Caesaris percussoribus Vellejo teste ultimus poenas dedit [29]). Sequatur *Junius Saturninus*, qui de proscriptione Augusti auctor dicitur, et copiosius de ea, Suetonio referente, memoriae tradiderat. Ceterum nec de aetate nec de scriptis ejus quicquam constat praeterea [30]). *Cornelius Nepos* semel affertur, Augustum *super coenam in castris apud Mutinam non amplius ter bibere solitum esse.* Non facile est ad auspicandum, unde ista desumpta sint; sed scripsisse eum Augusti vitam eo minus confirmare ausim, cum Augusti aetate mortuus sit [31]). Abstineamus autem multa de Nepote dicere, cum tanta de eo inter doctos homines lis sit et controversia. Verumtamen Suetonius eum laudat etiam in fragmentis de ill. Gram. et clar. Rhet. et in vita Terentii [32]). Plutarchus quoque eum secutus est quinquiens [33]). Noster

[28]) Aug. c. 94 in med.: *Infans adhuc, ut scriptum apud C. Drusum extat, repositus vespere in cunas* sqq. Placuit cuidam scribere *Caesarem Drusum.* Verum etiam plures historicos aliunde ignotos Tranquillus secutus est.

[29]) cap. 4. Vellej. II, 87 §. 3.

[30]) cap. 27. Voss. p. 711 de h. L. nihil dicit, nisi eum de Augusto historicum quippiam consignasse. Sed Paldam. in annot. ad Suet. ait: *Historiarum scriptor, Hadriani aetate.* At ne unum quidem extat rei testimonium. Immo Cortius p. 72 eum ante Augustum nominavit; Vossius recte inter incertae aetatis scriptores rettulit.

[31]) Aug. c. 77: *Cornel. Nepos tradit.* Scripsit de vita Ciceronis: Gell. XV, 28.

[32]) De ill. Gr. c. 4. De clar. Rhet. c. 3. In vita Terentii cap. 1.

[33]) Heeren de font. P. in indice. Voss. p. 69 sqq.; is pag. 72 perperam dicit in Jul. c. 9 Cic. ad Nepotem epist. a Suet. laudari; est enim in Jul. c. 55. —

autem ille loco Nepoti, utpote hac in re bono testi, assentiri videtur; saepe tamen, quod sciamus, sequi eum non potuit. Hunc excipiat *M. Valerius Messalla Corvinus*. Praeterquam quod ex ejus epistola quadam alio loco pauca rettulit [34]): hac in vita bis auctor vocatur [35]). Ac primo quidem loco ipsa, ut ait, verba Messallae posuit, Augusto patris patriae cognomen deferentis, quae ex actis vel aliunde quo deprompta dicere possis. Altero tamen loco quem Messallae librum ante oculos habuerit, enucleari nequit; quanquam Vossius ea ex libro de Romanis familiis hausta opinatur [36]). *Commentarios*, Heerenius inquit, *historicos eum composuisse, in quibus belli inter triumviros ac Caesaris interfectores historiam enarraverat, ac praelia ad Philippos et ultima maxime Cassii et Bruti fata accurate descripserat, etsi titulum libri ignoramus, ex Plutarcho tamen certissimum est. Septies enim, nomine addito, provocat ad ejus auctoritatem* [37]). Sed alia ejus scripta de auspiciis, de littera S, de qua plures veterum scripserunt, cetera huc non pertinent. Transeamus igitur ad *Cremutium Cordum*. In Augusto et Caligula nominatur Cordus Cremutius; a Tacito vocatur Cremutius Cordus [38]). Condidit sub Augusto ejus res gestas bellorumque civilium historiam, et eodem imperatore audiente etiam recitavit [39]). Brutum autem et Cassium cum ultimos Romanorum dixisset,

---

[34]) De ill. Gram. cap. 4.

[35]) cap. 58 et 74 *Valerius Messala tradit* sqq.

[36]) De h. L. p. 89. [37]) De f. Pl. p. 175.

[38]) Jam Ciceronis aetate nomina mutata invenimus. Invaluit tamen hic mos insequenti tempore.

[39]) Suet. in Tib. c. 61 in med. Cremutium significat, quod ex Taciti (Ann. IV, 34 init.) iisdem paene verbis perspicitur.

struente Sejano, accusatus ac mortis damnatus est, scriptaque ejus deleri Tiberius jussit, Caligula tamen requiri, et esse in manibus lectitarique permisit [40]). Edidit vero postea Cremutii filia Marcia, ad quam Senecae extat consolatio [41]). Laudibus extulerat M. Tullium, fuitque vir summa animi ferocitate. Nominatur a pluribus, Tacitus vero, ubicunque ejus meminit, spiritus plenus est, ut, quamvis a Suetonio uno tantummodo loco testis dicatur, nihilominus ab eo adhibitum saepius, fuisseque religiosissimum scriptorem jure nobis contendere posse videamur [42]). Semel profertur nominatim *Aquilius Niger* [43]), de cujus scriptis, cum testimonia desint, nihil pro certo affirmari potest [44]). Adhibuit denique, ut ipse fatetur, *Asclepiadis Mende-*

---

[40]) Tac. ann. IV, 34 et 35. Suet. Tib. 61. Calig. 16 init.

[41]) Testimonia cetera apud Voss. de h. L. p. 112.

[42]) In Aug. cap. 35.

[43]) Suet. in Aug. cap. 11: *Adjicit his Aquilius Niger, alterum e consulibus, Hirtium, in pugnae tumultu ab ipso* (Augusto) *interemptum.*

[44]) A Vossio de h. L. p. 817. inter incertae aetatis scriptores laudatur *Aquinius Juger*, diciturque vitam et gesta descripsisse Octaviani Augusti; ita legi apud Simlerum in bibliotheca, Glandorpium in Onomastico Romano, et Popelinierum in historicorum historia. Deinde pergit Vossius: *Sed Inger iis est, qui dici debuit Aquilius Juger.* Tum vero affert Suetonii locum paulo ante descriptum, in quo habet: *Aquilius Niger.* Simleri ac Popelinieri libros non licuit mihi posse inspicere. Sed apud Glandorpium in Onomast. Rom. ed. a. 1589 pag. 112 extr. nomen recte legitur: *Aquilius Niger, citatur a Plinio et Suetonio in Augusto.* Verum pag. 114: *Aquinius Juger scripsit vitam et res gestas Augusti.* Nominis est maxima confusio, sed dubium non est, quin unice verum sit *Aquilius Niger;* nomina *Inger* et *Juger* barbara sunt. Denique de scriptis ejus jam Vossius recte admonuit, fortasse eum Mutinensis tantum belli historiam condidisse; posse ista etiam ex oratione in Augustum habita desumpta videri. Quid multa? incerta sunt omnia, etiam aetas.

tis, qui dicitur, Θεολογουμένων libros, ex quibus prodigium ante Augusti natalem diem factum, rettulit [45]).

Atque hi sunt scriptores, quibus Suetonius se nisum esse dixit. Vidit autem ipse monumenta, aedificia aliaque ejusmodi, quae in hac vita commemorat. Cap. 6: *Nutrimentorum ejus ostenditur adhuc locus in avito suburbano juxta Velitras, permodicus et cellae penuriae instar, teneique vicinitatem opinio, tanquam et natus ibi sit.* Cap. 7: *Thurinum cognominatum satis certe probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus aeream veterem, ferreis ac paene jam exolescentibus litteris, hoc nomine inscriptam, quae dono a me principi data, inter cubiculares colitur* [46]).

Jam restat, ut quos praeterea fontes adhibere potuerit, dicendum putemus; nam hac quoque in vita auctores significat [47]). Sed in his scriptoribus nominandis, quos primo capite recensuimus, omittendos arbitramur, quoniam de nonnullis ut de Tito Livio, Vellejo Paterculo aliisque satis constat, ad quem usque annum res enarraverint, de aliis vero, ut de Volumnio, Empylo, Juba, ceteris minus notis, quae ad nostram

---

[45]) Pauca admodum de eo constant. Cf. Suet. Aug. c. 94 ibique Casaub.; Voss. de h. Graecis p. 507. — C. G. Heyne de Diodori fontibus in commentat. Gotting. tom. V. p. 103 in annotat. ita dixit: — *Asclepiadem, cujus Aegyptiacorum librum LX, numero parum probabili, in Athenaeo laudatum videas l. III p. 83 C. de aureis malis; nescio an eundem cum Asclepiade Mendesio, cujus Θεολογούμενα Sueton. Aug. 94. excitat. Alter Asclepiades ex Procli schola prodierat, superstitionibus Aegyptiacis, quales illa aetate erant, imbutus, et Αἰγυπτίων Ὠγυγίων scriptor, quem cum Heraisco comparatum videas e Damascio apud Phot. et Suid. in Ἡραΐσκος.*

[46]) Monumenta et aedes laudat cap. 12. 29. 30. 59 cet.

[47]) Cap. 15. 16. 80. 88.

rem facere videbantur, quantum fieri potuit, ante disseruimus. Ut igitur ad alios transeamus, commemorandus est *Trogus Pompejus*, qui primus inter Romanos omnium gentium historias condidit, easque Theopompum imitatus, appellavit Philippicas. Hunc num auctorem Suetonius habuerit, eo minus affirmari potest, quod Romanas res brevi conspectu libris duobus extremis (XLIII et XLIV) reliquarum gentium historiae addidit, quodque ea tantum, quae Justinus excerpsit, ad nostram memoriam pervenerunt [1]. Plinius tamen eum severissimum auctorem appellat. *M. Vipsanius Agrippa*, Augusti amicus et gener, scripsit de vita sua, cujus liber secundus laudatur [2]. *Cilnius Maecenas*, ut Servius ait, Augusti Caesaris gesta descripsit [3]. *C. Julius Hyginus* Grammaticus, Augusti libertus, praefuit Palatinae bibliothecae, fuitque, ut Suetonii verbis utamur, familiarissimus Ovidio poëtae et C. Licinio consulari historico [4]. Ut libros missos faciamus, qui huc non pertinent, scripsit vitas et res illustrium virorum, quarum sextus liber laudatur a Gellio [5]. Ex iis au-

---

[1]) Voss. de h. L. p. 98.

[2]) Voss. de h. L. p. 88. Meminit Agrippae Sueton. in Aug. imprimis cap. 42 et 63. Agrippam et Maecenatem de Augusto auctores a Plinio H. N. VII, 45 nominari, ad Suet. Aug. cap. 13 init. annotavit Paldamus.

[3]) Servius ad Virgil. Georg. II, 42 rem colligit ex Horatii Carm. l. II, 12 vers. 9 sqq.

tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius; ductaque per vias
Regum colla minacium.

Voss. de h. L. p. 105 extr. Solini paulo certius testimonium affert, licet alterum, me judice, satis idoneum sit.

[4]) Suet. de ill. Gram. cap. 20.

[5]) Gell. N. A. l. I cap. 14. Plura vide apud Vossium de hist. Latin. pag. 102.

tem, quae diximus, fortasse eum aliqua de Augusto tradidisse, suspicari possumus. Sequatur, quem modo nominavimus, *C. Licinius*, consularis historicus. Meminit ejus Suetonius in fragmentis de ill. Gram. cap. 20: *C. Julius Hyginus — familiarissimus Ovidio poëtae et C. Licinio, consulari historico; qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua, quoad vixerit, sustentatum.* Ceterum, si nomen illud verum putandum est, nihil prorsus praeterea de eo constat [6]. *Verrius Flaccus*, Grammaticus, Suetonio referente, ordinavit fastos. Res quaedam historicae, quas litteris consignaverat, praeter alios a Plinio saepius citantur, sed tamen anceps est, sintne ex libris „rerum memoria dignarum", an aliunde haustae [7]. Aequalis ejus fuit *Q. Vitellius Eulogius*, de quo in Vitellio dicemus. Tum *Ruso* quidam, Horatio teste, historias scripsit, sed tempora quae perscripserit, ignoramus [8]. Augusti aetate etiam *Masurius Sabinus* jurisconsultus Memorabilium libros confecit, item libros Fastorum, quorum secundus commemoratur [9]. *Cornelius Severus* bellum

---

6) Cum nemo adhuc historicus consularis hoc nomine inventus sit, id incertum putandum esse interpretes censuerunt. Voss. de hist. Lat. p. 103 conjecit *C. Asinius*, quod mihi quoque quondam in mentem venit. Verum cum illius temporis consulares non satis noti sint, a corrigendo manum abstinendam remque ut incertam relinquendam puto. *C. Asinius* homo rarius quidem dicitur, sed tamen dici potest, ea prorsus ratione, qua M. Tullius, C. Julius cet. Vocatur etiam ita apud Thorbeckium de Asin. Poll. pag. 2. 11. 28. 29 cet. ubi inscriptiones afferuntur. Nec illud dicerem, nisi quendam negasse scirem. Cod. Berol. recentior (nam in antiquiore sine nomine et loco et anno fragmenta desunt) anni 1477. perperam exhibet *Clodio Licinio*.

7) Suet. de ill. Gram. c. 17. Voss. de hist. Lat. p. 105.

8) Horatii Satyr. I, 3 v. 86 sqq. Voss. p. 106.

9) Voss. pag. 108. Corte p. 75.

Siculum cecinit [10]. *Cassius Severus*, homo acerbus, viros feminasque illustres, ut Tacitus dicit, procacibus scriptis diffamavit [11]. Sed num historiam composuerit parum nobis constat, quia lis in testimoniis minus disertis vertitur [12]. *C.* deinde *Rabirius* versibus condidit bellum Actiacum inter Augustum et M. Antonium [13]. Tum *Aufidius Bassus* bellum civile et bella Germanica confecit, in quibus excepit eum C. Plinius Veronensis [14]. Succedat *Titus Labienus* summi spiritus vir, cujus historiam ab ipso recitatam commemorat Seneca [15]. Denique meminisse liceat *Nicolai Damasceni*, de quo pauca supra jam diximus. Hoc autem loco nominanda est Augusti vita, quam scripsit Suida teste, quamque nostrum adhibuisse valde credibile est; cum enim esset Augusti amicus certo tradiderat ejusmodi aliqua, quae aliunde non item cognosci poterant [16]. Alios vero addere non juvat, cum justo

---

10) Voss. p. 108.

11) Suet. Aug. c. 56. De ill. Gram. c. 22. A Tacito in An. IV, 21 dicitur sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus. Quintil. X, 1, 22 et XII, 10, 11 acerbitatem ei tribuit. Cf. Tac. ann. I, 72 et de morte ejus IV, 21.

12) Suet. Calig. c. 16 una cum Tito Labieno et Cordo Cremutio historicis nominatur. Vitell. c. 2. Voss. de h. L. p. 110 historicum eum fuisse pernegat.

13) Voss. de h. L. p. 111. 14) Voss. p. 113.

15) Suet. Calig. c. 16. Voss. p. 118. Seneca: *Memini aliquando, cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse et dixisse: Haec, quae transeo, post mortem meam legentur. — Illo tempore, quo libri Labieni ex S. C. urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.*

16) Diligentissimus Vossius de histor. Graec. pag. 177. Augusti vitae non meminit. Suidas: *Νικόλαος Δαμασκηνὸς, γνώριμος Ἡρώδου, τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως, καὶ Αὐγούστου Καίσαρος, φιλόσοφος Περιπατητικὸς, ἢ Πλατωνικὸς ἔγραψεν ἱστορίαν καθολικὴν ἐν βιβλίοις ὀγδοήκοντα* (numerus est incertus) *καὶ*

fortasse plures jam nominati sint. Cap. 28 rationarium imperii commemorat, sed nostrum id adhibuisse contendi nequit. Illud hoc loco liceat meminisse, quae in singulis vitis de gentibus ac stirpe breviter adumbrat, Grammaticum ex antiquissimis historicis haurire potuisse.

Nunc ut videamus, quanto Tranquillus judicio fontes secutus sit, quantaque sit in vita scribenda diligentia versatus, cap. 2 extr. ait: *Nec quicquam ultra de paternis Augusti majoribus repperi.* Cap. 3 de nonnullorum opinione, quos non nominat, miratur, ut ipse ait, addens vulgarem historiam et Ciceronis epistolarum testimonium maxime sincerum. Cap. 57. Augustum tradens pro meritis suis maxime dilectum fuisse: *Omitto*, inquit, *senatusconsulta, quia possunt videri vel necessitate expressa vel verecundia.* Cap. 69 init.: *Adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant: excusantes sane* cet., sed de hac re ante uberius jam diximus. Cap. 88. communem dicit Grammaticus noster hominum errorem, Augustum in scribendo et litteras et syllabas aut permutasse aut praeterisse, docetque quomodo res sese habeat. Atque hac quidem in re, licet exigua, quem meliorem optare testem possumus Suetonio, qui se dicat litteras Augusti autographas legisse? [17]).

τοῦ βίου Καίσαρος ἀγωγήν. — ἔγραψε καὶ περὶ τοῦ ἰδίου βίου, καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀγωγῆς. Tum eum laudibus effert, dicitque etiam tragoedias et comoedias non contemnendas scripsisse.

17) Cap. 71: *Autographa quadam epistola.* Cap. 87: *litterae ipsius autographae ostendunt*, ubi *ejus* ex codd. rectius mihi videtur.

CAPUT III.

TIBERIUS.

In Caesaris et Augusti vitis, quemadmodum vidimus, Suetonius auctorum satis magnam copiam attulit: in insequentibus autem scriptorum, qui testes proferuntur, multo rarior fit mentio. Cujus quidem rei duas potissimum caussas repperisse nobis videmur: primam, quod permulta inde de Tiberio ceterisque imperatoribus audiendo, ut in prooemio diximus, cognovit, unde factum est etiam, ut multo nunc frequentius dicat *quosdam putare, esse qui existiment* reliqua: alteram graviorem aliquanto caussam eam censemus, quod pauciores fontes extabant, cum aut metu crudelium imperatorum hominum animi a scribendo deterrerentur, aut nonnullorum scripta Caesarum jussu etiam deleta essent. Ita autem Tranquilli aequalis, historicorum Romanorum ferocissimus scriptor: *Veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Gajique Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsae; postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt* [1]). Et alio loco: *Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere: simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia Reipublicae ut alienae; mox libidine adsentandi, aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios* [2]).

[1]) Tac. Annal. princip. coll. An. IV, 11.

[2]) Tac. Hist. init.

Inde sibi consilium esse dicit de Augusto pauca et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera: rara enim temporum felicitate sub Nerva ac Trajano, quae volueris et quae senseris, dicere licuisse. Atque Suetonius eandem ferme ob caussam eorundem principum vitas perscripsisse nobis videtur; nec vero, quanquam post Tacitum rem suscepit, acta egisse putandus est, cum non principum ingenia ac consilia, reique publicae statum describere, sed vitas eorum litteris consignare voluerit, ita ut et publicae et privatae vitae partes singillatim, neque per tempora, sed per species exequeretur, quo distinctius demonstrari cognoscique possent [3]). Sed ut revertatur unde est digressa oratio, non fuerit a re alienum, exempla pauca quaedam proferre, et scripta istis temporibus, de quibus sermo est, deleta, et homines in scribendo liberiores et audaciores mortis damnatos esse. *Primus Augustus*, Tacitus inquit, *cognitionem de famosis libellis tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat* [4]). Idem

---

[3]) Suet. in Aug. cap. 9: *Proposita vitae ejus velut summa, partes singillatim, neque per tempora, sed per species exequar* cet. Recte Vellejus I, 14: *Facilius cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhaerent.* Praeterea Suetonius rationem et viam, quam in scribendo secutus sit, significat in Aug. c. 61: *Quoniam qualis in imperio ac magistratibus regendaque per terrarum orbem pace belloque republica fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit, a juventa usque ad supremum vitae diem.* In Tib. cap. 42: *de quibus* (vitiis) *singillatim ab exordio referam.* Tib. c. 61: *Singillatim crudeliter facta ejus exequi, longum est; genera, velut exemplaria, saevitiae enumerare sat erit.* Nero cap. 19 extr.: *Haec — in unum contuli, ut secernerem a probris ac sceleribus ejus, de quibus dehinc dicam.*

[4]) Tac. Ann. I, 72.

auctor fuit, ut acta Senatus, a Julio Caesare et confecta et divulgata, ne amplius publicarentur [5]). Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, intermisit Tiberius, Caligula tamen publicavit [6]). Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta senatusque consulta sub Tiberio abolita sunt; sed esse in manibus lectitarique Caligula permisit [7]). Poëtae sub Tiberio objectum est, quod in tragoedia Agamemnonem probris lacessisset, et Cremutio, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset: damnati sunt auctores, scriptaque eorum combusta [8]). Caligula Actiacas Siculasque victorias sollemnibus feriis celebrari vetuit [9]). Porro Tacitus *Legimus*, inquit, *cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur* [10]). Paetus autem Thrasea quod haberet tristiorem et paedagogi vultum mortis condemnatus est [11]). Ac multorum illustrium virorum exitus Plinius in epistolis conqueritur. Ipse Claudius Caesar antiquiorum temporum historiam confecit, cum neque libere, neque vere de superioribus tradendi facultatem relictam sentiret [12]).

---

5) Sueton. in Aug. c. 36. 6) Suet. in Calig. c. 16.

7) Suet. in Calig. c. 16. T. Labieni scripta ex Senatusconsulto combusta esse cap. II extr. in annotat. diximus.

8) Suet. in Tiber. c. 61. Tac. Ann. IV, 34 et 35.

9) Suet. in Calig. c. 23.

10) Tac. Agric. c. 2. Plin. ep. VII, 33. De Herennio Senecione pauca admonuit B. G. Niebuhrius: Abhandl. d. Kgl. Acad. d. Wiss. zu Berlin a. 1822 et 1823.

11) Suet. Nero c. 37. Tac. Ann. XVI, 21.

12) Suet. in Claud. c. 41.

Denique etiam sub Domitiano litteris res gestas consignare oppido periculosum erat. Etsi enim bibliothecas incendio absumptas impensissime reparare curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque: tamen ipse liberalia studia neglexit, carminibusque nullam operam dedit, neque praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris quicquam lectitabat [13]). Permisit quidem initio in ludis etiam prosa oratione Graece Latineque doctos homines certare [14]): sed scripta famosa, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolevit [15]); Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras occidit, item Metium Pomposianum, quod habere imperatoriam genesin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terrarum in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret: interemit etiam Junium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos sanctissimos viros, cujus criminis occasione philosophos omnes Urbe Italiaque summovit [16]). Alii contra vitam conservaturi principi adulabantur, ut Vellejus Tiberio, Domitiano Quintilianus [17]). Scilicet quotusque supererat, qui rempublicam vidisset? Jure autem de ista jactura nos quidem dolemus, quamvis Seneca rhetor, quod minus eximia ingenia fuerint, non interesse multum existimet. Sed ad rem nostram revertamur.

---

[13]) Suet. Domit. c. 2 et 20. Tac. Hist. lib. IV extr. *studium litterarum — simulans.*

[14]) Suet. Domit. c. 4. [15]) Suet. Domit. c. 8.

[16]) Suet. Domit. c. 10. 12. 13.

[17]) Quintil. X, 1, 91 et Plinius Domitianum poëtam ad coelum tollunt. Tac. Hist. IV extr. *amorem carminum simulans.* Suet. Domit. c. 2. *Simulavit et ipse mire modestiam imprimisque poeticae studium* sqq.

Tiberius ipse commentarium de vita sua summatim breviterque composuit [1]). Adhibuit eum Tranquillus, sed quo loco nominat, referens de Sejani interitu, fidem ei abrogat, malas principis artes veriores rei caussas existimans [2]). Sed dubitari nequit, quin plura ex isto commentario hauserit; licet enim summatim breviterque compositus fuerit, Tranquillus item de Tiberio, ut solet, breviter et summatim scripsit. Deinde provocat ad Tiberii epistolas, unde interdum aliqua transscripsit. Nominantur autem epistolae ad Reges ac Dynastas cap. 26; ad Praesides cap. 32; ad Senatum cap. 65 [3]); ad alios cap. 50, 54 et cap. 67, ubi versus paucos rettulit, quae eadem fere leguntur etiam apud Tacitum in Annal. l. VI cap. 6. Sed cap. 66 Artabani Parthorum regis ad Tiberium litterae commemorantur, quas tamen nostrum legisse contendi nequit; nec sane multum ad rem facit. Pari modo etiam ex orationibus Tiberii nonnulla memoriae prodita invenimus [4]). Memorantur

---

[1]) Suet. Tiber. c. 61; Domit. c. 20. Nihil habet Suidas.

[2]) Tiber. c. 61: *Etsi commentario — ausus est scribere, Sejanum se punisse, quod comperisset, furere adversus liberos Germanici filii sui.* Paulo ante Suetonius: *Post cujus* (Sejani) *interitum vel saevissimus extitit: quo maxime apparuit, non tam ipsum ab Sejano concitari solitum, quam Sejanum quaerenti occasiones subministrasse.* Nec aliter statuit Tacitus. Etiam Augusto, ut vidimus, fidem semel derogavit, quamquam non ita acerbe: tum etiam Caligulae cf. pag. 58 et 62.

[3]) Suet. l. l. — *criminatus est pudenda miserandaque oratione, cum inter alia P. C. precaretur* sqq. Nimirum principis ad senatum epistolam historici saepe vocant orationem. De eadem Juvenalis: *verbosa et grandis epistola.* Dio: ἡ ἐπιστολὴ — ἦν δὲ μακρά. Cf. Casaub.

[4]) Oratt. in Tib. 8. 67. Sed cap. 28 et 29 inde aliqua accurate rettulit. Cap. 70: *In oratione Latina secutus est Corvinum Messallam* cet. Cf. Aug. c. 86. Novem annos natus Tiberius defunctum patrem pro rostris laudasse dicitur in Tib. cap. 6.

etiam ejus edicta, codicilli, Senatusconsulta, acta, denique testamentum, quae omnia Suetonius legisse existimandus est [5]). Testamentum autem quod postea abolitum est: quominus id noster inspexerit, nihil impedit [6]). Ex ceteris imperatoris scriptis laudantur Graeca poemata et carmen Lyricum: Conquestio de L. Caesaris morte [7]). Aliorum auctorum in hac vita multos nostrum habuisse admodum probabile est, etsi perquam paucos nominat [8]). Laudatur *Augustus*, ex cujus epistolis aliqua ad verbum rettulit [9]), quemadmodum etiam ejus testamenti [10]) initium exhibet, quo de ante pluribus egimus. Breviter etiam de habitu et cultu Tiberii Augusti in Senatu habitae orationis meminit, quam laudat itidem Tacitus [11]). Tum auctor affertur de Tiberii morte *Seneca*, Neronis praeceptor, sed ita affertur, ut quo ex libro testimonium desumptum sit, incertum nobis maneat [12]). Lactantius cum doceat, quemadmodum Seneca imperium Romanum per aetates distinxerit: Justus Lipsius eum historiam composuisse conjecit. Quod si verum esset, quae Suetonius Seneca

---

[5]) Edicta c. 34 et 40. — cod. c. 42 ibique Ern. — S. C. cap. 48 — acta c. 67 — testam. c. 76.

[6]) Suet. in Calig. cap. 16.

[7]) cap. 70 coll. cap. 71.

[8]) Cap. 2. 3. 5. 9. 10. 21. 44. 49. 51. 52. 54. 67. 73. 75 sqq. auctores non nominatim affert. Tiberii voces tradit cap. 24. 25. 27. 28. 29. 50. 51. 52. 53. 57. 59. 61. 62. 70. 74 rel.

[9]) cap. 21. [10]) cap. 23.

[11]) Suet. Tib. cap. 68. Tac. Ann. I, 6 et 10 extr.

[12]) cap. 73: *Seneca eum scibit* cet. In Nerone cap. 7. 35. 52. Calig. 53. Tac. ann. XII, 8 et XIII, 4 ibique Lipsius. Voss. de h. L. p. 128 Suetonii testimonia non commemorat. Composuit Seneca descriptiones regionum, Indiae, Aegypti cet. Etiam de sacris Aegyptiorum scripsit.

teste laudato affert, ex ista historia vel compendio desumpta facile quispiam fortasse opinaretur. Verum res est adeo obscura, itaque difficultatibus implicata, ut nihil certi ad lucem perduci posse videatur [13]). Denique *Theodorus Gadareus*, rhetoricae praeceptor, in Tiberio puero saevam ac lentam naturam primus sagaciter perspexisse dicitur [14]). Unde autem ista deprompserit, quis ausit affirmare? Commemoranda nunc sunt ceteris fontibus non minus locupletia monumenta, *fasti actaque publica*, quibus praeter plures certioresque auctores nititur, ut quo die princeps natus sit discernat [15]). Praeter hunc unum in Tiberio locum etiam in Caligula actis se usum esse dicit, quanquam eorum alibi quoque in transitu mentionem fecit. Senatus quidem acta cum non diserte se adhibuisse profiteatur: tamen quin consultaverit, dubitari vix potest. Itaque de Senatus et publicis actis (nam de fastis nihil dicendum judicamus) quantum ad nostram rem pertinet, disputare temptemus. C. Julius Caesar, ut scribit Suetonius, primus omnium instituit, ut tam Senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur [1]). Populi acta vocantur etiam diurna acta [2]), publica acta [3]), diurni commentarii [4]), et simpliciter acta [5]), a Dione

---

[13]) Voss. de h. L. p. 119. 163. 164.

[14]) In objurgando Tiberium appellavit πηλὸν αἵματι πεφυραμένον cap. 57. De eo Quintil. II, 15, 21; III, 1, 17 rel.

[15]) In Tib. cap. 5. Deinde in Calig. cap. 8: *Ego in actis Antii editum invenio.*

[1]) Suet. in Caes. cap. 20 init.

[2]) Tac. Ann. XIII c. 31.

[3]) Tac. Ann. XII, 24. Suet. Tib. c. 5.

[4]) Suet. Aug. c. 64.

[5]) Suet. Calig. c. 36 extr. Quintil. IX, 3, 17.

τὰ κοινὰ ἀπομνήματα et γράμματα δημόσια [6]): acta Senatus etiam commentarii Senatus [7]). Aliquamdiu actorum confectio intermissa videtur, ut Ernestius ex Ciceronis epistolis colligit [8]). Deinde iterum confecta sunt, sed Augustus vetuit, ne Senatus acta publicarentur [9]). Erant autem in iis perscripta, quaecunque apud patres dicerentur et agerentur [10]); componebantur ab aliquo Senatore, vel potius componendis iis praeerat [11]); conscribebant enim scribae censualesque, qui etiam actuarii vocabantur [12]). Actis populi, Lipsius ait, continebantur res populi, judicia publica, supplicia, comitia, aedificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia [13]). Haec acta a quaestoribus et deinde ab aerarii praefectis videntur confecta esse, servabantur tamen in tabulario, quod fuit in atrio Libertatis ab Asinio Pollione extructo [14]). Perierunt diurna acta vetustate et incendio; sed reparavit Tiberius, ut refert Dio [15]). Quando desierint confici, dici nequit,

[6]) Casaub. ad Suet. Tiber. 66.

[7]) Tac. ann. l. XV. In Suet. Claud. c. 41 *ac diurnis* ubi interpp. conjecerunt *actis diurnis*. Ac simpliciter *diurna* dicta fuisse, cogitari vix potest.

[8]) Ern. in excursu ad Suet. Caes. c. 20.

[9]) Suet. in Aug. cap. 36.

[10]) Suet. Tib. c. 73 init.: *Interim cum in actis Senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus strictim, et nihil aliud, quam nominatos ab indice scripserat* rel.

[11]) Tac. ann. V, 4.

[12]) Cf. de actuariis Perizonii adnot. ad Suet. Caes. c. 20.

[13]) Lips. ad Tac. Ann. V, 4 collegit testimonia. Adde Tiberis inundationes: cf. Casaub. ad Suet. Aug. cap. 28. Henr. Heisen in symbol. litter. Bremens. tom. II pag. 311—322 pingui Minerva actorum auctoritatem contra Lipsium infringere studet.

[14]) Casaub. ad Suet. Aug. 29 extr.

[15]) Meminit Suet. actorum in Calig. c. 36 extr. *repudium*

verumtamen etiam insecuti scriptores eorum auctoritate usi sunt, veluti Vopiscus, qui se praeterea *Registra scribarum* adhibuisse fatetur, de quibus nihil omnino constat. Suetonius autem utroque loco, quo actis se niti diserte ait, adhibuit ea, ut de anno et loco, ubi principes nati essent, certiora quaedam traderet; nec alia ulla in re eorum testimonium affert. Ista autem, quae inde se deprompsisse ait, sine dubio verissima sunt, cum liberos natos pater profiteretur oporteret, resque statim in acta referretur [16].

Jam quod attinet ad ceteros historicos, quorum auctoritate forsitan noster nisus sit: quam rettulit Claudii Pulchri vocem non pascentibus in auspicando pullis, legitur ista etiam apud *Valerium Maximum*, cujus quidem auctoritas multis parum idonea videtur [17]. Hunc sequi potuit, habetque sane aliqua, quae etiam apud illum leguntur. Tum praeter *Vellejum Paterculum* nomine tenus afferendi sunt *Brutidius Niger* [18] et *Cornelius Thuscus* [19], historici Tiberii aetate, quorum scripta ignoramus; denique *Agrippina*, Augusti proneptis, Neronis Caesaris mater, quam cum Plinio secutus est Tacitus [20]. Sed eorum, quos modo no-

---

ipse misit, jussitque in acta ita referri. — Aug. 64. — Quintil. IX c. 3 §. 17: *Jam vulgatum actis quoque, saucius pectus.* Hunc locum Lips. Heisen et Ern. omiserunt.

16) Jam Servius Tullius instituerat, ut propinqui nata prole certum aliquem nummum in aerarium Junonis Lucinae inferrent: mortuo aliquo in Veneris Libitinae (cf. Sueton. Nero cap. 39 init. ibique Casaub.): et sumente quopiam virilem togam in Juventutis. Ita fere Lipsius. Acta autem erant historicorum materies, ut quondam Annales Maximi.

17) Suet. Tib. cap. 2: *quasi ut biberent, quando esse nollent.* Valer. Max. I, 4 §. 3: *Quia esse nolunt, bibant.*

18) Voss. de h. L. p. 124. 19) Voss. de h. L. p. 125.

20) Tac. An. IV c. 53 extr. *Id ego, a scriptoribus anna-*

minavimus, non potuit Tranquillus eum intelligere, quem se secutum esse in hac vita ita significat: *Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui et ipse affuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano, adstante mensae inter copreas, cur Paconius majestatis reus tam diu viveret, statim quidem petulantiam linguae objurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, ut de poena Paconii quam primum statueret* [21]). Qui sit ille, dictu difficile fuerit [22]) Suspicari tamen possumus desumpta illa esse ex libro inedito, in quo talia ἀνέκδοτα, quae dicunt, relata fuerint. Ac plures ejusmodi fontes Suetonius usurpavit. Denique et versiculos in Tiberium compositos sine auctoris nomine attulit, quibus hominum in principem odium perspiceretur [23]).

Jam exponamus, quatenus noster criticum sese ostenderit. Relinquit rem incertam nonnunquam [24]), aliis in locis satis constare affirmat [25]). Neque de-

---

lium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae, filiae: quae Neronis principis mater, vitam suam et casus suorum posteris memoravit. Plin. H. N. VII, 8: *Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum, parens ejus scribit Agrippina.* Sueton. Nero c. 6 et 7 alia ostenta enumerat.

[21]) Cap. 61 extr.

[22]) Tac. Ann. III, 67: *M. Paconius legatus.* Sed ista res a Tacito tradita non est, nisi forte in iis, quae perierunt. Itaque ne inde quidem auctor cognosci potest.

[23]) cap. 45. 59. 66 init. Tac. Ann. I, 72 extr. *Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata; in saevitiam superbiamque ejus et discordem cum matre animum.* IV, 31: *C. Cominium, Equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum.* VI, 9: *Sex. Vestilius — seu composuerat quaedam in C. Caesarem, ut impudicum, sive ficto habita fides.* Cf. VI, 24. — VI, 39: *Sextus Paconianus in carcere, ob carmina illic in Principem factitata, strangulatus est.*

[24]) cap. 9. 10. 54. 72. [25]) cap. 2. 49 rel.

sunt loci, ubi diversis positis opinionibus, comprobet unam, ceteras refutet. Ita referens ubi Tiberius natus sit, scribit: — *quidam existimaverunt, secuti levem conjecturam* —. *Sed ut plures certioresque tradunt* —. *Sic enim in fastos actaque publica relatum est. Nec tamen desunt, qui* — *scribant.* Una igitur in re non solum plures certioresque, quos vocat, auctores secutus est, sed etiam fastos actaque publica [26]). Alio loco ad suam comprobandam sententiam optima et integerrima auctoritate usus est Augusti epistola [27]). Tum nonnullorum dicit sententiam veram colligi posse ex ipsius Tiberii allatis verbis [28]), et post diversis enarratis opinionibus, adjicit quae rettulerat Seneca, ut isti assentiri videatur [29]). Denique nonnulla, quae ipse vidit, tradidit [30]); quibus omnibus reputatis, et judicium ejus perspicitur. et diligentia, qua in conquirendis fontibus versatus sit, de qua et ipse ita affirmat: *Unum hoc modo, neque praeterea quicquam notatum est* cet. [31]).

CAPUT IV.

CALIGULA.

Non minor in Caligula est paucitas fontium, quos se habuisse Suetonius fatetur. Taciti autem annalium

---

26) cap. 5.

27) cap. 21. ad quem locum conferatur cap. 68 et Tac. Ann. l. I cap. 6 et 10.

28) cap. 67. Similis res est cap. 52. 29) cap. 73.

30) cap. 6. 14. 62. De aedificiis cf. cap. 47 et 48 et Tac. Ann. VI, 45. Sueton. in Calig. cap. 21.

31) cap. 11.

pars, quae huc facit, ita periit, ut ne inde quidem damnum resarcire bene liceat. *Caligula* scripsit orationes, ut testis Tranquillus est, quanquam ad earum auctoritatem nusquam provocat [1]). Afferuntur etiam duo ejus libelli *Gladius* et *Pugio* inscripti, qui in secretis reperti continebant notas et nomina morti destinatorum [2]); deinde aliqua facinora traduntur, quae ipse princeps perscripserat, erantque, quantum videtur, alio quo libello comprehensa [3]). Meminit etiam illius epistolae ad Senatum scriptae, qua dicitur ausus esse Liviam Augustam proaviam ignobilitatis arguere, quasi materno avo Decurione Fundano ortam [4]); tum refert aliqua ex epistola ejus ad procuratores [5]), ut utramque ipsum legisse paene certissimum sit. Pari ratione codicillos, quorum exemplum afferat, eum legisse dixérim [6]): item de Decretis et Edictis ac Senatusconsultis rationibusque imperii suspicari licet, cum aliis certe locis confessus sit [7]). Ceterum Caligula principatus initio scriptoribus maxime favit, eorumque libros deletos et Senatusconsulta combusta requiri esseque in manibus permisit [8]): postea contra a scribendo multos

---

[1]) Suet. in Calig. cap. 53 sqq. Consentit Josephus apud Casaubonum. Suida teste Caligula scripsit etiam libros de arte dicendi: *Γάϊος Καῖσαρ, ὅς ἐπεκλήθη Καλλιγόλας. Ῥητορικὴν τέχνην Ῥωμαϊκῶς.* S. v. *Γάϊος.* Sed Lipsius ad Tac. Ann. XIII, 3 extr. Suidam falli esseque libros Germanici putat. Praetextatus Liviam Augustam defunctam Caligula pro rostris laudavit cap. 10 et Tiberium laudavit pro concione cap. 15.

[2]) cap. 49.

[3]) cap. 55: *Sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est.*

[4]) cap. 23. [5]) cap. 47. [6]) cap. 55.

[7]) Decr. cap. 16. — Ed. cap. 6. 25. 30. 42. 45. — S. C. cap. 15. — Rat. imp. cap. 16.

[8]) cap. 16. 20 cet. Idem fere in Domitianum quadrat.

deterruit, deque abolendis quibusdam libris cogitavit [9]. Caligulae voces saepenumero commemoratas [10], interdum se accurate referre admonuit [11], easque aut ex scriptis hausit, aut cognovit audiendo a majoribus; uno saltem loco narravit, quae ab avo audierat [12]. Laudatur testis *Augusti* ad Agrippinam neptem epistola, unde aliqua transscripsit dicens de loco, ubi Caligula natus sit [13]; tum *Tiberii* de Caligula vox [14] et testamentum, cujus jam supra mentionem injecimus [15]. Meminit porro breviter testamenti *Juliae Augustae*, sed utrumque ipse legisse putandus est, siquidem Augusti testamentum, ut diximus, adhibuisse eum extra omnem dubitationem positum est [16]. Denique ubi natus sit Caesar disputans, nominatim auctores protulit *Cn. Lentulum Gaetulicum* et *Plinium Secundum*, quos tamen refellit, *actorum publicorum* auctoritatem aliaque testimonia in auxilium vocans [17]. Eorum Gaetulicus Tiberii et Caligulae aequalis poematis claruit, scripsitque historiam, quantum ex Suetonii verbis colligi potest, nam prorsus certa testimonia desunt [18]. Occiso Se-

---

9) cap. 23. 27 extr. 34 sqq.

10) cap. 12. 15. 24. 25. 30. 33. 34. 37. 38. 39. 45. 53. 56. 57.

11) cap. 29: *dicebat — ut ipsius verbo utar.* cap. 47: *et, ut ipse dicebat* cet. Coll. c. 22. 30. 32. 33. 49.

12) Cap. 19: *Sed avum meum narrantem puer audiebam, caussam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus — affirmasset* cet.

13) cap. 8. 14) cap. 11.

15) cap. 14. 16. In Tiber. cap. 76.

16) cap. 16. 17) cap. 8 uterque laudatur.

18) Suetonius ita: *Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gaetulicus Tiburi genitum scribit — Gaetulicum refellit Plinius —.* Cf. Voss. de h. L. pag. 126.

jano Abudius Rufo functus aedilitate, Gaetulicum accusavit, quod Sejani filium generum destinasset. Sed epistola se defendit effecitque ut delator urbe exigeretur [19]). Gaetulicum tamen, referente Tranquillo, refellit Plinius, qui praeter historiam naturalem perscripsit Germanica bella [20]), adhibita a Tacito [21]), ac fortasse isto loco etiam a Suetonio, nisi forte, id quod Vossius suspicatus est, res ex historiis desumpta sit [22]). Sed cum noster eum refutet, quo de agemus postea pluribus, cumque Tacitus uno loco incertus sit, assentiaturne Messallae an Plinio [23]): tamen locupletissimum illum auctorem fuisse, inque historiis istis summa cum fide ac religione versatum esse, sine ulla dubitatione confirmare possumus [24]). Historias incepit, ubi desierat Aufidius Bassus [25]). Non plures afferuntur nominatim auctores, nec facile, quos praeterea habuerit, possis contendere. Cap. 10 extr. ait non immerito dictum

---

19) Ita Tacitus in Ann. VI, 30, ubi vide plura.

20) cf. Voss. pag. 153.

21) Tac. Ann. I, 69: *Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor.* An. XIII, 20: *Plinius et Cluvius — referunt.* An. XV, 53: *C. Plinius memorat.*

22) Suet. cap. 8: *Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino, supra Confluentes* rel.

23) Tac. Hist. III, 28: *Hormine ad ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim* sqq.

24) Plin. ep. V, 8: *Avunculus meus idemque per adoptionem pater, historias, et quidem religiosissime scripsit.*

25) Omnia bella, quae unquam cum Germanis gesta fuerint, viginti voluminibus Plinium comprehendisse auctor est Pseudosuetonius in vita Plinii et Plin. ep. III, 5. — Coll. Voss. pag. 154. Mittimus libros de Grammatica, de jaculatione equestri cet. — *Plin. Secund. primo artium* Priscian. VI, p. 698 ed. P. — *C. Plin. Secund. libros reliquit, quos Studiosorum inscripsit:* Gell. N. A. IX, 16.

esse, Caligula *nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse*, quae eadem fere apud Tacitum leguntur, qui scitum *Passieni* oratoris dictum esse docet [26]). Simili modo quae de Germanico tradidit, quam maxime congruunt cum narratione Taciti‌ana, ut missa alia faciamus, quae noster rettulit, dispersimque apud illum quoque inveniuntur [27]). Germanici suprema *C. Lutorium Priscum* equitem Romanum celebri carmine deflesse Tacitus auctor est, et adhuc in ejus mortem praeter alia epigramma extat [28]): haec autem dicta sunto, cum uterque eorum paene luctu quodam illius viri meminerit, laudeque eum extollat, quam tribuunt etiam Josephus et Dio, licet minuere ausus sit Tiberii adulator Vellejus [29]). Cap. 36 Valerius Catullus a Caligula se stupratum esse vociferatus dicitur; quod tamen quo teste narratum sit, in medio relinquendum est. Etiam versiculi afferuntur, quorum auctor siletur [30]). Omnino autem persaepe auctores tantum significat, sive scripserint aliquid sive ex iis res narrando cognorit [31]). Neque hic quos forsitan sit secutus vel Latinos vel Graecos scriptores appellandos existimamus, cum ii aut ante nominati sint, aut postea proferentur. Aperte autem in hac vita noster ostendit, quanta diligentia ac fide in rebus singulis mi-

---

[26]) Tac. Ann. l. VI cap. 20: *Unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit: Neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.*

[27]) De Germanico Suet. Calig. c. 1—7. Tac. Ann. II, c. 72—83. De ipso Caligulae nomine Suet. c. 9. Tac. Ann. I, 41. Seneca de ben. V, 16. Suidas s. v. *Καλ.* idem referunt.

[28]) Tac. An. III, 49. Casaub. ad Suet. Calig. c. 5.

[29]) Casaub. ad Suet. Calig. c. 3 init. [30]) Cap. 8.

[31]) Cap. 2. 3. 4. 5. 10. 12. 14. 23. 24. 25. 38. 50. 55. 58. 59 sqq.

nimis maximis et perquirendis et tradendis versatus sit: etenim principis locum natalem indagans postquam copiose accurateque, quae ad rem faciunt, rettulit, et alios, expositis uberius caussis, refutat, et suam sententiam idoneis maxime et integerrimis testimoniis comprobat [32]). Deinde opinionem quorundam a veritate non abhorrere ex nonnullorum auctorum testimoniis colligit, ita ut suspicari fortasse liceat, significari eos, ex quibus rem audierit [33]). At quid faciamus alio loco, ubi quorundam opinionem veram negat, nullum exhibens testimonium? [34]) Videtur mehercle res ita manifesta fuisse, ut ne egere quidem argumentis putaret. Tum quae plerique diverso modo arbitrati erant, falsa contendit, fidem tribuens avo, Caligulae aequali, a quo rem aliter comparatam esse acceperat [35]). Nec minus recte invehitur in ipsum Caligulam, quod is Liviam Augustam ignobilitatis quadam ad Senatum epistola arguere ausus sit, cum publicis, ut ait noster, monumentis, fortasse actis diurnis, Caesaris calumnia vana declaretur [36]). Rarius etiam rem incertam relinquit [37]). Ne multa: res vere tradendi quantopere studiosus fuerit, abunde ex hac vita perspicitur [38]). Ita-

[32]) Cf. totum cap. 8., quo extr. dicit: *Sequenda est igitur, quae sola restat, publici instrumenti auctoritas* cet. i. e. acta publica, de quorum fide in ejusmodi rebus incorrupta, ut diximus ante, nullo prorsus modo dubitandum est. Interpretum optime ita posuit Casaubonus: *Impellit me, ut Suetonio potius assentiar, exquisita haec diligentia, qua usum eum patet in pervestiganda hujus rei veritate: quam quidem ille solus serio, certe post Plinium et Tacitum, quaesivit.*

[33]) Cap. 12: *ut quidam opinantur — Nec abhorret a veritate, cum sint quidam auctores* sqq.

[34]) cap. 17. [35]) cap. 19. [36]) cap. 23.

[37]) cap. 25: *Alii tradunt.* cap. 58: *Duplex dehinc fama est: alii tradunt — alii.*

[38]) cap. 49: *Quod ne cui dubium videatur* cet.

que si cui forsitan aliquo loco errasse videatur, cum severissimo judice Polybio ita statuat: *Δύο μέντοι τρόπους φαμὲν εἶναι ψεύδους, ἕνα μὲν τὸν κατ' ἄγνοιαν, ἕτερον δὲ τὸν κατὰ προαίρεσιν. καὶ τούτων δεῖν τοῖς μὲν κατ' ἄγνοιαν παραπαίουσι τῆς ἀληθείας διδόναι συγγνώμην· τοῖς δὲ κατὰ προαίρεσιν, ἀκαταλλάκτως ἔχειν* [39]. — *ἱκανὰ γὰρ τὰ κατ' ἄγνοιαν γιγνόμενα τοῖς γράφουσιν, ἃ διαφυγεῖν ἄνθρωπον δυσχερές* [40].

CAPUT V.

CLAUDIUS.

Etsi res gestae imperatoris Claudii a Tacito memoriae proditae aliquam partem supersunt, tamen, cum ad nostrum usum non posse magnum inde fructum percipi videamus, Tranquillus ipse, ut fere solet, fontes, quibus usus sit, ostendat. Ipsum *Claudium* testatur de vita sua octo volumina composuisse, magis, ut ait, inepte, quam ineleganter, unde a nostro et lecta et adhibita fuisse, satis, opinamur, aperte intelligitur [1]. Adolescens hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adjuvante, historiam scribere aggressus est [2];

---

39) Polyb. XII, 7 §. 4 et 5.

40) Polyb. XVI, 14 §. 7. praeter complures locos alios.

1) Suet. in Claud. cap. 41. Librorum de vita Vossius de h. L. non meminit.

2) Voss. p. 127. — *Claudius in IV. historiarum* laudatur a Prisciano l. VI p. 697 ed. P. — *Item quod nos suspicatur, veteres ospicatur dixerunt. Claudius octavo historiarum: Flacco ospicatur*: Diomedes l. I p. 378 ed. P. Utrumque locum Casaubonus rettulit ad imperatoris Claudii historias. Alii discernant, num alter Diomedis locus ad Quadrigarii potius annales

etiam in principatu scripsit plurimum et assidue per lectorem recitavit. De hac re cum jam primo capite dixerimus, transeamus ad cetera ejus scripta; illud unum admonuisse sufficiat, ipsum Tranquillum ad historiarum ejus auctoritatem provocare, et aliqua ex iis referre [3]). Scripsit praeterea Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros, ut Tranquillus ait, satis eruditam. Commentus est etiam tres litteras novas, de quarum ratione privatus adhuc volumen edidit [4]). Deinde composuit Graecas historias *Τυῤῥηνικῶν* viginti, *Καρχηδονιακῶν* octo [5]); tum librum de arte aleae [6]), diciturque libello quodam, unde Tranquillus pauca refert, de paedagogo suo conquestus esse [7]). Disciplinarum liberalium, quibus a prima aetate non mediocrem operam dedit, experimenta saepe publicavit [8]). Quod ad ejus orationes pertinet, extat fragmentum ad historiam utilissimum orationis de jure Gallorum in urbe honores adipiscendi, unde tamen ad Suetonii usum non videtur fructus redundare potuisse [9]). Verumtamen alias citat

---

referendus sit; annales consuesse alios historias nominare constat, et contra, ut inscriptiones librorum ad ejusmodi litem dirimendam nihil facere appareat. Locus Plinianus VIII, 3 *Claudius Caesar scribit* cet. videtur pertinere ad historias.

3) Cap. 21.

4) Suet. Claud. cap. 41. Tac. An. XI, 13 et 14.

5) Plura apud Suet. in Claud. c. 42. Etruscorum annalibus, quos novit etiam Varro, Claudium in conscribenda Tyrrhena historia usum esse Niebuhrius censet Hist. Rom. tom. I pag. 22 ed. 1.

6) cap. 33. 7) cap. 2.

8) cap. 3 init. Apud Suidam hoc tantum inveni: *καὶ ἐν παιδείᾳ ἤσκητο, ὥστε καὶ συγγράψαι τινά.*

9) Legitur fragmentum apud Lipsium ad Tac. Ann. l. XI cap. 24.

orationes, quas quin noster legerit, dubitari nequit [10]). Afferuntur denique praeter testamentum edicta, quae item legisse eum dixeris [11]). Deinde *Augusti* verba, quae defuncto Druso pro concione dixerat, et praeterquam quod Drusi vitae memoriam prosa oratione composuisse dicitur, ex tribus ejus epistolis Tranquillus aliqua ad verbum transscripsit, quo certius, ut ait, cognosceretur, quid de eo Augustus opinatus sit [12]). Meminit tum *Augusti Tiberiique* testamentorum [13]), breviterque alia attingit ejusmodi scripta, ex quibus, etiamsi legerit, aut nihil aut parum lucrari potuit [14]). Jam vero multa narrat, quae leguntur etiam apud Tacitum, cum illiusque narratione, ut assolet, maxime consentiunt, licet singula verba non ubique accurate sibi respondeant. Ex libertorum numero, quorum aliquos cap. 28 sqq. nominat, scripsisse unum et alterum quaedam, quae noster quoque tradidit, suspicari facile possis. Sed *Fabii Rustici* libros, quem Claudii ac Neronis aetate vixisse, de iisque scripsisse constat, Suetonium consultasse, licet professus non sit, eo magis verisimile videri debet, cum Tacitus ad ejus auctoritatem provocet, nostrumque eos, qui Imperatorum aequa-

---

[10]) cap. 38: *quibusdam oratiunculis testatus est.* cap. 40 ipsa ejus verba ponit. Cf. cap. 39 et 42.

[11]) testam. cap. 44. — Edicta cap. 11. 16. 18. 19. 21. 23. 25. 28. 38.

[12]) cap. 1. De Aug. ep. cap. 3 et 4.

[13]) testam. Aug. cap. 4 extr., Tib. cap. 6 coll. c. 5.

[14]) cap. 3: *Avia Augusta — non monere nisi acerbo et brevi scripto.* cap. 38 extr.: *cum intra breve tempus liber editus sit, cui index erat μωρῶν ἀνάστασις; argumentum autem, stultitiam neminem fingere.* — cap. 1 versus sine auctoris nomine afferuntur; cap. 24 argumentum epistolae, quae communi legionum nomine extiterit. Cap. 35 M. Camilli ad Claudium epistola, quae dicitur contumeliosa, minax, contumax.

les fuerunt, nominare testes consuesse videamus [15]. Denique etiam hac ex vita diligentia ejus et historica fides perspicitur: nam ut refellat interdum quosdam, utitur Augusti testimoniis, imprimis epistolis [16] et Claudii vocem inanem ipsius testimonio ex historiis desumpto ostendit [17]. Uno tamen loco, quae auctores tradiderant, ut vana perstringit, exponitque rem ipsam, quomodo comparata fuerit, sine dubio in re manifesta aliorum auctorum tesiimoniis non opus esse existimans [18]. Tum de morte Claudii disputans, occisum eum veneno convenire dicit; ubi autem et per quem dato discrepare, affertque variam famam [19]. Semel vero aliqua a majoribus se audisse fatetur [20].

---

[15]) Voss. de h. L. p. 129. Tac. An. XIII, 20. XIV, 2. XV, 61. In Agric. c. 10: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores.* Tacito teste fuit amicus Senecae. De Fab. Rust. pauca admonuit B. G. Niebuhr: Abhandl. d. Kgl. Acad. d. Wiss. zu Berlin a. 1822 et 1823. Per mihi mirum videtur Rusticum a Quintiliano non laudari. Sed significari eum a Quint. X, 1, 104 suspicatus est Sarpius. Cf. Zumptianae edit. Quintil. pag. 417.

[16]) cap. 1: *Quod equidem magis, ne praetermitterem, rettuli, quam quia verum aut verisimile putem, cum Augustus* sqq.

[17]) cap. 21: *quamvis ipse in historiis suis prodat.* Confer pag. 51 adnot. 2 extr.

[18]) cap. 27.

[19]) cap. 44: *Quidam tradunt — alii —. Etiam de subsequentibus diversa fama est. Multi — ajunt. Nonnulli —.*

[20]) Cap. 15: *Illud quoque a majoribus natu audiebam.* Non a re alienum fuerit, quae ibidem leguntur addere: *Ac* (non *at*) *ne cui haec mira sint —. satis constat,*

CAPUT VI.

N E R O.

Quanquam in hac vita Suetonius neminem historicum auctorem nominat, tamen affert quaedam scripta, quae videtur ipse legisse, etiamsi ad res moresque Neronis perscribendos nihil paene fecerint, et dubium esse nequit, quin res traditas ex scriptorum libris saepius hauserit, quam significasse eum animadvertimus [1]. Ut mittamus edicta aliaque: nominantur Neronis carmina [2] et orationes [3] atque epistolae, unde ad verbum nonnulla rettulit [4]. Tum affert hominum quorundam voces [5] et jocos ac versus sine auctoris nomine vulgatos [6]. Haec fere sunt, quae ipse Tranquillus testimonia quodammodo exhibet.

Itaque nominemus auctores aliquos, qui tempora illa perscripserunt, missis tamen iis, qui aut jam nominati sunt, aut postea in censu hoc nostro appellabun-

[1]) cap. 34. 54 rel.

[2]) cap. 10. 24. 52. In Domit. cap. 1 affertur Neronis in Clodium Pollionem poëma Luscio inscriptum. Tac. Ann. LXIII cap. 3 extr.

[3]) cap. 7. 10. 46. Coll. de clar. rhet. cap. 1. In Nerone cap. 47 ita: *Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus.* Cap. 9 Claudium laudasse dicitur. Tac. Ann. XIII, 3 orationem ita a Seneca compositam dicit, ut multum cultus proferret, nam viro illi ingenium fuisse amoenum et temporis ejus auribus accommodatum. Ad Tac. ejusd. lib. cap. 4 ita fere Lipsius: haec oratio Senecae adeo grata fuit patribus, ut teste Xiphilino in argenteam columnam incisa sit.

[4]) cap. 23. 34. 41. [5]) cap. 2 et 6.

[6]) cap. 28. 39. 42. Tac. ann. XVI, 14: *Antistius Sosianus factitatis in Neronem carminibus probrosis, exilio — multatus* sqq. Cf. Juvenalis et A. Persii vitae, quae Suetonii nomine circumferuntur.

tur. Relictis igitur Seneca et Fabio Rustico proferendus est *Cn. Domitius Corbulo*, vir consularis, Claudii ac Neronis aequalis, cujus frequens mentio fit apud Tacitum. Perscripsisse eum res gestas ex Tacito discimus, qui uno loco ad ejus auctoritatem provocat [7]. *Pomponio Melae* hic vix locus est, neque fortasse *C. Balbillo*, Aegypti praefecto, quippe quem tantum de rebus Aegyptiis scripsisse constet, ceteras res gestas num tradiderit non item [8]. *C. Suetonius Paullinus* consularis, quae in Africa gesserat, auctore Plinio, litteris consignavit, ut nostro pauca tantum, ne dicam nihil, ex ejus historia haurire posse licuerit [9]. Iisdem temporibus floruit *L. Paetus Thrasea*, qui vitam composuit Catonis Uticensis [10]; sed num etiam alia, quae huc pertineant, conscripserit, certum non est. *M. Servilius*, ut ait Tacitus, diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris fuit; gessit summos honores, verum quae tempora perscripserit, ignoramus [11]. Missum autem faciamus *Cornutum* historicum, quippe de quo sint omnia nimis ambigua [12]. Denique iisdem ferme temporibus *M. Licinius Crassus Mucianus* con-

---

7) Tac. Ann. XV, 16 init.: *contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum* cet. ibique Lipsius. Etiam a Plinio testis profertur in regionum descriptionibus. Sed equidem unum et eundem librum intelligendum judico. Testimonia collegit Voss. de h. L. pag. 130.

8) Seneca et Plinius Balbillum auctorem nominant. Voss. de histor. Latin. pag. 132.

9) Voss, pag. 133.

10) Meminit ejus hominis Suetonius in Neronis cap. 37 et Domit. c. 10. Tacitus virtutem ipsam appellat Ann. XVI, 21 init. Adhibuit eum in Catone Plutarchus. Cf. Heeren d. f. Pl. p. 168. Ab Heerenio ubique vocatur *Thraseas*. Voss. p. 135.

11) Tac. Ann. XIV, 19. Voss. p. 135.

12) Voss. p. 135.

sularis historiam scripsit, quam saepius citat Plinius [13]), et *C. Fannius*, Plinius inquit, quamvis agendis caussis distringeretur: scribebat tamen exitus occisorum, aut relegatorum a Nerone: et jam tres libros absolverat, subtiles, et diligentes, et Latinos, atque inter sermonem historiamque medios [14]).

Jam vero illud relinquitur, ut more solito scriptoris nostri, quae in hac vita diligentiae ac judicii argumenta invenisse nobis videmur, adjiciamus. Enarrat loco quodam, legiones in Armenia sub jugum missas esse, quod quidem his verbis pernegat Tacitus: *Addidit rumor, sub jugum missas legiones, et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est* [1]). Sed cum Suetonio etiam alii historici consentiunt, ita ut nostro si non fides habenda, at certe res non sit magnopere imputanda. Neque ab errore se alienum esse Suetonius negabit, quemadmodum etiam Tacitum errasse praeter alios locos maximam fidem facit Tranquillus in Neron. cap. 52. Tacitus enim in Ann. l. XIV c. 16: *Ne tamen ludicrae tantum Imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis aetatis nati, considere simul, et adlatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba, quoquo modo prolata, supplere. Quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu, nec ore uno fluens.* At Suetonius: *Itaque ad poeticam pronus, carmina libenter ac sine labore composuit: nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit.*

---

[13]) Voss. p. 140. Meminit ejus Suet. in Vespas. c. 6 extr. et 13 init., etiam Tacitus nonnunquam.

[14]) Plin. ep. V, 5.

[1]) Suet. in Ner. c. 39 ibique Casaub.

Venere in manus meas pugillares libellique, cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos; ita multa et deleta et inducta et superscripta inerant. Apparet sane ex his verbis Suetonii diligentia, qua omnia monumenta, unde res cognoscerentur, inquisivit et inde historiam duxit [2]). Ac nisi valde fallimur illo ipso loco Tranquillus Tacitum tangere videtur. Tum noster Neronem incendii auctorem facit, rem ut certam maxime atque veram copiose exponens, nihil ut meminerit ejus, quod alii prodiderant, forte ortum esse incendium. Nam ea de re ita Tacitus: *forte, an dolo principis incertum: nam utrumque auctores prodidere* [3]). Sed certus auctor Suetonius esse voluit, qui cap. 34. *non incertos auctores* sequi se dicat. Missa vero faciamus talia, quae innumerabilia proferri possunt, moneamusque potius, quod videtur gravius esse, rettulisse nostrum nonnulla, quae ex aliis se comperisse [4]), quaeque adolescentem ipsum vidisse confessus est [5]). Omnino autem multo plura audiendo cognosse habendus est, veluti ea, quae de Neronis obitu uberius ac copiosius memoriae prodidit [6]).

---

[2]) Ita statuit Ern. in annot. ad l. l.

[3]) Suet. Ner. c. 38. Tac. An. XV, 38 init.

[4]) cap. 29: *Ex nonnullis comperi.*

[5]) Nerone extr.: *Denique cum post viginti annos adolescente me extitisset conditionis incertae, qui se Neronem esse jactaret* rel.

[6]) cap. 12: *ut multi spectantium crediderunt.* — cap. 21 extr. *fama est.* — cap. 53: *ut ajunt.*

CAPUT VII.

G A L B A.

Satis habuit Tranquillus hac in vita auctores tantum significasse [1]; licet enim meminerit etiam testamentorum et edictorum [2], tamen ista non magno emolumento esse poterant. Verum quod tacuit auctores, non magnopere ei imputandum putamus, cum aequalibus potissimum vitas conscripserit, quorum in mentibus Galbae et insequentium principum magis quam priorum res gestae versabantur, sive narrando ipsis notae, sive ex scriptorum aequalium libris cognitae, quos nominatim citare non admodum opus fuit. Laudatur tamen Sulpicii Galbae, Imperatoris avi, multiplex nec incuriosa historia, quam ad Caesaris vitam Tranquillum adhibuisse suspicamur, ut primo jam capite admonuimus [3]. Sed ut pauca illa, quae huc spectant, absolvamus, praeterquam quod interdum res ejusmodi narrat, quarum ipse testis putandus est [4]: nonnullis locis plures affert opiniones, ut re incerta relicta nihil dijudicet [5].

---

[1]) cap. 3. 20. 22.

[2]) Liviae Augustae testamentum cap. 5. Edicta cap. 10 et 15 extrem.

[3]) cap. 3.

[4]) cap. 1: *ut hodie quoque — vocetur.* Cap. 2 statuarum titulos nominat cet.

[5]) Cap. 3: *— ambigitur. Quidam putant — alii — nonnulli — vel contra.* , cap. 12: *verene an falso.* cap. 20: *sunt, qui tradant —. Plures autem prodiderunt —.* Addere hic liceat, cap. 4. Augusti verba graece laudari, quae transtulit Tac. An. VI, 20. — Cap. 6. versus per castra vulgatus legitur.

CAPUT VIII.

O T H O.

Otho, Suetonius inquit, binos codicillos exaravit: ad sororem consolatorios, sed ad Messallinam Neronis, quam matrimonio destinarat, commendans reliquias suas et memoriam [1]). Tum mentionem facit ejus diplomatum et epistolarum ad quosdam provinciarum Praesides, quas tamen eum non legisse, ex ipsius verbis consequitur [2]). Historicos se secutum esse, interdum significat [3]), uno etiam loco se ait referre, quae audierit a patre, Suetonio Lene, tertiae decimae legionis tribuno angusticlavio, qui proelio ad Bedriacum pugnato interfuit [4]). Neque vero dubitandum est, quin plura in hac vita, ceterisque etiam cum ab aliis tum a patre ipsi narrata nobis tradiderit [5]). Res in dubitatione positas ipse quibusdam locis admonet [6]), et semel denique in re non valde gravi aliorum opinionem sententia sua confirmat [7]). Sed si quid conjiciendo

---

[1]) cap. 10. Locum ita ex codd. restituit Ern., quibus accedit Berol. recentior.

[2]) cap. 7: *immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistolis suis ad q. prov. praes., Neronis cognomen adjecit.* Coll. c. 8 et 10: *quicquid deinde epistolarum erat — concremavit.* De oratt. nihil potest dici cf. c. 6 et interpp. ad cap. 7.

[3]) cap. 2. 7. 12. [4]) cap. 10.

[5]) cap. 12 extr. ubi de militibus loquitur, aliaque permulta, quae legendo an audiendo ipsi cognita fuerint, vix possis discernere. — Cap. 11: *Adjiciamus, inquit* (Otho), *vitae et hanc noctem: his ipsis totidemque verbis.* Apud Tacitum (Hist. I, 41 cet.) hanc Othonis vocem non inveni. Sed intelligitur, opinor, optimos et integerrimos nostrum auctores secutum esse.

[6]) cap. 1 bis, c. 2. 3. 6. [7]) cap. 9.

assequi possumus, auctorem fortasse habuit *M. Cluvium Rufum*, quem in Galba et Othone Plutarchus secutus est [8]; in Neronis autem rebus gestis Tacitus, ut quid scripserit aliquam certe partem intelligatur [9]. Fuit autem vir consularis, ut in Nerone Suetonius ait, et facundus, qui dicitur a Tacito, qui saepius ejus non sine laude in historiis praecipue meminit [10]. Hujus autem historias nostrum adhibuisse, cum et meminerit ejus, et Tacitus ac Plutarchus eum secuti sint, multo est verisimilius, quam quaestio ista ad dijudicandum facilis, num *Julium Secundum* secutus sit vel sequi etiam potuerit, cum de scriptis ejus nihil nisi prorsus incerta testimonia reliqua sint [11].

CAPUT IX.

VITELLIUS.

De origine Vitelliorum disserens Suetonius *Quintum Eulogium* et *Cassium Severum* auctores exhibet. Eorum autem Q. Eulogius ad Q. Vitellium patronum Augusti quaestorem Vitelliae gentis stemma descripse,

---

[8]) Heeren d. f. P. p. 189.

[9]) Tac. An. XIII, 20 (perperam Voss. de h. L. p. 144 librum XI laudat) et XIV, 2.

[10]) Suet. Nero cap. 21. Tac. hist. I, c. 8 et 76. II, 58 et 65; IV, 43.

[11]) Voss. de h. L. p. 145: scripsit vitas. Heeren de f. Plut. p. 190 ita ait: *Quamvis enim praeter eum* (Cluvium Rufum) *Secundum quendam nominat, qui Othoni fuerat ab epistolis, non tamen constat commentarios eum reliquisse.* Plutarchus in Galb. et Oth. multos et varios se consultasse auctores saepius admonuit: cf. Heeren p. 189.

rat [1]), ex quo libello Tranquillus aliqua rettulit, sed ut adjiceret etiam, quae alii tradiderant [2]), quorum in numero alter est, qui nominatim laudatur Cassius Severus [3]). Is Tacito teste viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamavit, unde commotus Augustus cognitionem de famosis libellis primus tractavit [4]). Ac videtur haec scripta etiam Tranquillus significasse; nam historicum illum fuisse, quod nonnulli quondam opinati sunt, Vossius vero pernegat, nullo pacto demonstrari potest [5]). Jam quae praeterea dici possunt, sunt admodum pauca, itaque comparata, ut ante fuisse vidimus; alios quoque eum auctores consultasse manifestum est [6]), quamvis qui fuerint, dici non queat, et diligens scriptor etiam ubi incerta aliqua relinquit, apparet [7]).

CAPUT X.

VESPASIANUS.

Licet noster in Vespasiano, ut in Nerone et Galba et Othone ad auctorum testimonia non diserte provocet, tamen historicorum loco monumenta imprimis, quae ipse vidit, affert, unde ad vitas ejus aliquis fructus re-

1) Cap. 1 ibique Casaub. Voss. de h. L. p. 105 plura non habet, ut saepius.

2) cap. 2: *Contra plures — prodiderunt.*

3) cap. 2: *Cassius Severus, nec minus alii.*

4) Tac. Ann. l. I c. 72.

5) Voss. de h. L. p. 109 plura de eo disputavit. A Suetonio laudatur Aug. c. 56, Calig. c. 16, de ill. Gram. c. 22.

6) cap. 3. 13. 14.

7) cap. 1. 2: *Sed quod discrepat, sit in medio.* cap. 3 rel.

dundavit [1]). Eorum tamen praestantissimum est illud, quod his verbis describit, quodque, quantum fieri potuit, procul dubio ad vitas scribendas adhibuit: *aerearum tabularum tria milia, quae simul* (cum Capitolio) *conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio Urbis Senatusconsulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio cuicumque concessis* [2]). Quod attinet ad rationem, quam in ambiguis rebus secutus sit, relinquit aliqua in dubitatione posita [3]), alia vero certane an falsa sint dijudicat. Verumtamen semel non explicatis caussis duplici famae derogat fidem, remque alio modo enarrat simpliciter, quod satis, opinamur, certa ipsi res, nec argumentis magnopere egere videbatur [4]). Deinde de avaritia Vespasiani dicens licet natura aliqui illum cupidissimum hominem tradidissent, tamen, quod etiam male partis optime usus sit, recte se ait assentiri iis, qui ad manubias et rapinas summa aerarii fiscique inopia compulsum eum opinentur [5]), Tum vero postquam narravit aliqua, quae de Vespasiani majoribus alii rettulerant, non se negaturum ea dicit, ipsum tamen, quanquam satis curiose inquisisset, ne vestigium quidem invenisse [6]). Ita Tranquillus, ut alioquotiens animadvertimus, de diligentia sua loquitur, quam, etiamsi non ipse diserte confessus esset, propter reliquam narrandi rationem nihilominus tribuendam illi putaremus. Jam vero de auctoribus,

---

[1]) cap. 1 bis. 2. 9 cet. [2]) cap. 8 extr.
[3]) cap. 1. 4. [4]) cap. 1.
[5]) cap. 16. — Hegewisch: Röm. Finanzen pag. 246. contra Suetonium ineptissime judicavit.
[6]) cap. 1 extrem.

quos habuerit, si potest omnino poni quaestio [7]): *Flavii Josephi* Antiquitatum Judaicarum belliquo Judaici libros ad plurimas eum vitas consultasse, perquam nobis videtur verisimile esse, non solum quod Josephi in Vespasiano [8]) meminit, ut item scripta ejus nosse legisseque videatur, verum etiam quod oppido multa habet, quae illum quoque memoriae prodidisse scimus [9]). Vespasiani temporibus fuit *Servilius Novianus* historicus, a Quintiliano in scriptorum censu commemoratus, nec aliunde notus, ut ne tempora quidem, quae descripserit, norimus [10]). Aequalis ejus fuit *Vipsanius Messalla*, quem scriptor dialogi de oratoribus loquentem facit. Res gestas eum litteris consignasse, cum Tacitus in historiis testimonium ejus afferat, apertum est. Ac sine ulla dubitatione in rebus narrandis religiosus maxime versatus est, quod jam inde possis conjicere, quod Tacitus huic an C. Plinio assentiatur, quodam loco ipse incertus est [11]). A nostro quoque eum adhibitum esse, suspicari licet.

---

7) Auctores significat interdum; praeter T. I. cf. cap. 21.

8) Suet. in Vespas. cap. 5 sub finem: *Et unus ex nobilibus captivis Josephus, cum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam imperatore.* Idem Josephus ipse et Tacitus aliique rettulerunt apud Voss. de hist. Graecis pag. 194.

9) Vide quaeso interpretum annotationes. Meierotto de fontt. Taciti perpauca edisserens in programm. Gymnas. Joachimici Berol. p. 8 (a. 1795) Tacitum quoque Josephi libros legisse suspicatur.

10) Quintil. X, 1. Voss. de h. L. p. 144.

11) Tac. histor. III, 28. Transscripsimus locum de C. Plinio locuti. Cf. Tac. Hist. III, 25; IV, 42 init. Dial. de oratt. c. 15. Voss. de h. L. p. 146. Zumptius ad Quintil. X, 1 §. 104 pag. 417 ita: *Fabium Rusticum — significari Sarpius suspicatus est —. Poterat eodem fere jure Vipsanium Messallam.*

CAPUT XI.

T I T U S.

Cum mortuo Vespasiano Suetonius duodecim ferme annorum puer fuerit, perspicitur facile, quae de Tito litteris consignavit, minimam partem ipsum memoria tenuisse, sed plurima cum legendo tum audiendo cognosse. Sed ut rem ipsam aggrediamur, de fontibus nihil ipse testatur, nisi quod interdum statuas locosque, quorum meminit, eo etiam quo scripsit tempore, superesse ostendique ait [1]); deinde vero notis principem excipere velocissime solitum e pluribus comperisse se commemorat [2]). Denique jam liceat ipsius Tranquilli verba transscribere, de quibus, quantum fieri poterit, in ipsius diligentiam ac judicium etiam minimis in rebus conjectura fiat. Ita enim ille cap. 10: *conquestus* (moribundus Titus), *eripi sibi vitam immerenti: neque enim extare ullum suum factum poenitendum, excepto duntaxat uno. Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrat. Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse, persancte Domitia jurabat; haud negatura, si qua omnino fuisset: immo etiam gloriatura, quod illi promptissimum erat in omnibus probris* [3]). Nunc cum

---

[1]) cap. 1: *natus est — sordidis aedibus, cubiculo vero perparvo et obscuro: nam manet adhuc et ostenditur.* cap. 2: *quae* (statua) *circensi pompa hodieque praefertur.* cap. 4: *sicut apparet et statuarum et imaginum ejus multitudine ac titulis.*

[2]) cap. 3: *E pluribus comperi.*

[3]) Locum pro more suo ad verbum paene transtulit Dio. Cf. interpp.

nihil praeterea dicendum videatur (nam de ipsius Titi scriptis [4]), quod huc faciat, nihil constat): ad ultimum commentationis nostrae caput transeamus.

CAPUT XII.

DOMITIANUS.

Cum sub Domitiano Tranquillus adolescens fuerit: suspicari jam possumus, narrasse eum permulta videndo magis cognita quam legendo. Atque ut in Tito, ita etiam in Domitiano historicos, quos auctores habuerit, ne significat quidem; nam quod interdum *satis constare*, *dici*, *credi* hoc vel illud fatetur: audiendo an legendo ipsi notum fuerit, quis est, qui velit contendere? Aliqua tamen audiendo cognosse putandus est, quemadmodum uno loco de obitu Domitiani puerum, qui arae Larium cubiculi ex consuetudine astitisset caedique interfuisset, rem copiosius, ut ipse rettulit, narrasse testatur [1]). Hoc autem modo Tranquillus minima quaeque, quae nec illo tempore nec hodie a quolibet cognosci facile queunt, locupletissimis usus auctoribus ad memoriam posteritatis prodidit: hoc quidem loco pueri istius allato testimonio, aliis locis ipsorum principum ac libertorum scriptis libellis adhibitis. Sed quod ipsa ostendit narratio, plurimas res gestas, quibus ipse interfuerit, rettulisse existimandus

---

[4]) Suidas: *Τίτος — ποιήματα δὲ καὶ τραγῳδίας Ἑλλάδι φωνῇ διεπονεῖτο.* Sueton. cap. 3 et cap. 6: *cum patris nomine et epistolas ipse dictaret, et edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret* sqq.

[1]) cap. 17.

est, ut integrior etiam ac ditior testis esse videatur: *Δυοῖν γὰρ ὄντων κατὰ φύσιν ὡσανεί τινων ὀργάνων ἡμῖν, οἷς πάντα πυνθανόμεθα καὶ πολυπραγμονοῦμεν, ἀκοῆς καὶ ὁράσεως, ἀληθινωτέρας δ' οὔσης οὐ μικρῷ τῆς ὁράσεως κατὰ τὸν Ἡράκλειτον· (ὀφθαλμοὶ γὰρ τῶν ὤτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες) τούτων* Suetonius alteram hanc meliorem *τῶν ὁδῶν ὥρμησε πρὸς τὸ πολυπραγμονεῖν* [2]). Et aliquotiens etiam id ipsum affirmat [3]). Sed ut dicatur de fontibus ipsis, si sunt ita vocandi, afferuntur *Domitiani* epistolae, unde pauca transscripta sunt [4]), deinde orationes [5]), atque edicta [6]), quae pari fortasse modo legit; denique libellus, quem de cura capillorum ad amicum edidit, unde pauca quaedam ad verbum referuntur [7]). Ceterum putandus est *Plinii* amici epistolas omnes legisse, inter quas versantur quattuor, quae ad nostrum scriptae sunt [8]), in aliis Tranquilli mentio facta est [9]); etiam ipse Suetonius ad Plinium litteras dedit [10]), quanquam deperditae sunt. In epistolis autem Plinianis nonnulla insunt, quae leguntur etiam apud Suetonium, veluti narratio de Cornelia virgine

[2]) Polyb. XII, 27 §. 1.

[3]) cap. 8 *vidimus;* c. 12 *Interfuisse me adolescentulum memini.* Cf. c. 4 et 13.

[4]) cap. 11 extr. et c. 13. [5]) cap. 2 extr.

[6]) cap. 2. 7. 13. 14. Cap. 20: *Nunquam — operam ullam — stilo vel necessario dedit — epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium* rei.

[7]) cap. 18 extr. De carminibus Domit. (cap. 2.) diximus jam cap. III init. Priscian. VI p. 693 ed. P. *Domitianus in senatu pro se.* Fragm. quaedam Graeca illi tribui constat.

[8]) Plin. ep. I, 18. III, 8. V, 11. IX, 34.

[9]) Plin. ep. I, 24. V, 11. denique in epistola ad Trajanum X, 95.

[10]) Plinius ep. I, 18. IX, 34 testimonio sunt.

maxima, quam Tranquillo, Plinius copiosius tradidit [11]). Verumtamen in hujusmodi rebus Plinium nostro auctorem unicum fuisse, credibile non est. In animo illi fuisse scimus historiam scribere, sed nihil praeterea ea de re ad nostram memoriam pervenit [12]). Denique vero (omittimus enim *Pompejum Saturninum*, *Titiniumque Capitonem*, quippe de quibus non satis firma testimonia extent [13])) in *C. Silii Italici* poëmatis (lib. III) occurrunt quaedam de Vespasiani, Titi ac Domitiani temporibus; sed fueritne is auctor, nec ne, dijudicent alii [14]).

EPILOGUS.

Restat, ut quae hucusque copiosius edisseruimus, comprehendamus, ac breviter dicamus, quid nobis de Suetonii diligentia, fide auctoritateque censendum esse videatur. Ecce Henricus Heisen Suetonio litem intendit, quod mendacissimus scriptor sit, cujus testimonia falsa habenda sint [1]). Audiamus igitur accusationem.

---

11) Plin. ep. IV, 11. Suet. Domit. c. 8 extr.

12) Plin. ep. V, 8.

13) Capito scripserat de exitu illustrium virorum: utrumque ex Plin. ep. (I, 16 et VIII, 12) notum inter historicos rettulit Voss. de h. L. p. 161.

14) Voss. de h. L. p. 156 init.

1) Henr. Heisen: Dissertat. de imperatoria majestate a primis historiae Augustae conditoribus indignissime habita. In Symbolis litterariis Bremensibus tom. II (a. 1745) pag. 246—322; p. 647—776 et tom. III (a. 1747) pag. 1—167.

Contendit autem *primum NOLUISSE Suetonium, quique eum praecesserunt, historiae augustae multos conditores vera omnia referre. Deinde, eosdem NE POTUISSE QUIDEM veritati semper in iis, quae referunt, litare. Tum, hos committendo scriptores, et illos ipsos, quorum vitam resque gestas persequuntur, imperatores, si minus omnes at certe potiores, in scenam producendo, ostendet, quam indigna multa, falsa, incerta, adversisque frontibus secum pugnantia tradiderint. Et tandem cum Baelio et ὁμοψήφοις manus conserens liquido evincet, dedecuisse dedecora Caesarum eaque magnam partem clam admissa, in aprico collocari, et ad posteritatis omnis propagari memoriam.* Miraturos lectores putamus verbosam accusationem, hominisque impudentiam. Nos vero miramur etiam, vanam unius istius hominis opinionem apud multos tantum valere, ut Suetonio caute saltèm fidem tribuendam esse judicent. Quis est enim omnium, qui praeter Heisenium Suetonii auctoritatem in dubium vocare ausus sit, scriptoremque eum mendacissimum ac maledicentissimum ostendere unquam voluerit? Sed licet taedeat tractare istas quisquilias: tamen ne quid nostrarum partium omissum esse videatur, aliqua, quae ut gravissima testimonia attulit, examinabimus. NOLUISSE Suetonium res vere perscribere testem Josephum laudat, qui multos dicat aut gratia aut inimicitiis odioque ductos NERONIS historiam memoriae falso prodidisse. Ergo quod ante Josephum multi Neronis facta falso perscripserunt, Suetonius, qui tot annis post vixit, Caesarum vitas integra fide enarrare ne voluit quidem? Josephi tamen verbis fidem esse dandam, vel inde apparere, quod res gestas se vere scripturum saepius professus sit. At Suetonii diligentiam, resque vere tradendi studium, praeter auctorum lauda-

torum copiam declarant abunde loci, ubi de diligentia ipse fatetur, et diversas auctoritates vel dijudicat vel ut incertas relinquit. Deinde Tranquilli auctoritatem infringit, quod aliqua non lecta sed audita rettulerit. Quid multa? demonstrationis rationem etiam Telegennii intelligent. Secundo loco NE POTUISSE QUIDEM Suetonium res gestas vere narrare, nititur potissimum Dionis Cassii testimonio, multa conficta divulgari, alia, quae vere acta essent, ignorari. Judaeus Apella credat. Conatur etiam actorum auctoritatem labefactare: qua in re adversarium jure nactus est Ernestium in praefat. ad Suet. Tum profert copiam locorum undique haustorum, qui vel pugnant inter sese, vel etiam diversitatis habent speciem. In quo contendit Graecis auctoribus aliquanto majorem fidem dandam, quam Latinis: nam Grajis ingenium Grajis dedit ore rotundo Musa loqui. Nec solum contentus singulis in locis Graecorum testimonia Suetonii auctoritati anteposuisse, etiam Romanorum historicorum innumerabiles locos contra Tranquilli narrationem colligit, eumque non ponderatis severe testimoniis condemnat. Nobis contra auctorum diversitates, si quae fortasse uspiam sunt, diligentiae ac fidei scriptorum maxima argumenta videntur. Quid? quod Hellanicus Lesbius res inter sese diversas tradidisse fertur? Jam vero damnati Suetonii testimonio nisus, damnavit etiam ut falsum testem Tacitum. Nec multo post in ipsos Suetonii auctores invehitur, Suet. Caes. c. 52 extr. *Ac ne cui dubium omnino sit, et impudicitiae eum et adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem appellat.* Hic iste, tanquam lectores ludibrio habere voluerit: *Notes quaeso geminatum illud omnium. An unus Caesar vir omnes adulterare*

mulieres; et vicissim a viris omnibus pati muliebria potuit? Nec minus genuinum fregit, quod contra Suetonium Caesarem injuria occisum docet, Neronem laudibus ad coelum tollit, et interitum Senecae comprobat. Nolumus amplius fluctus, quod ajunt, in simpulo excitare. Sufficiet enim pauca ista commemorasse, ut, quorum aures de Suetonii mendaciis rumor iste personavit, inanem fictionem esse intelligant.

Jam ut brevi omnia comprehendamus: adhibuit Tranquillus ipsorum principum ac libertorum scripta, epistolas, orationes, testamenta et id genus alia: deinde historicos, cum Graecos tum Latinos, qui imperatorum rebus gestis plerumque ipsi interfuerant: tum summae fidei publica monumenta, Senatusconsulta, edicta, orationes in aes incisas, fastos, Senatus populique acta: denique multa a majoribus natu audivit, aliarumque rerum ipse testis est. Tum si, quae de diligentia ac judicio ejus multis locis disputavimus, apud animum reputare velis, deque fide Suetonii et auctoritate justum, non aequum, judicium exerceas: videri eum ab omni parte optimum et integerrimum auctorem statuas necesse est, ut nullo pacto Heerenii de Plutarcho sententia in nostrum quadret: *Monendum est ante omnia, quod ipse profitetur, non se historias, sed vitas scribere, ad quarum exempla alii sese componant. Vitarum quidem non minus quam historiae scriptorem veritatis studiosum esse debere, facile concedimus; cum tamen non de novo historiam condere, sed ex historia exempla tantum repetere velit, nec illud expectabis, ut ex primis, ut vocant, fontibus, annalibus ac monumentis publicis, tradita sua petat; nec ut singula scriptorum narrata severae censurae subjiciat*[*]). Quan-

---

[*]) De fontt. Plut. pag. 190 et 191.

quam ab omni errore se alienum ne noster quidem negabit, sed culpa in ipsius diligentia et fide, qua fontes adhibuit, sita est. Etiam Tacitum constat in Judaeorum historia falli saepius; verum ingenium ejus reveriti, non ausi sunt auctoritatem minuere. Suetonianae religionis magnum argumentum est etiam sermo lenis et tranquillus, ut ipse Lenis filius Tranquillus dicitur, et stili paene jejunitas, hominis ab odio et studio alieni maxime propria; tum superstitio, quam praestat in principum somniis, prodigiis ostentisque cujuscunque generis enumerandis [3]). Atque ipsi veteres, quanti ejus auctoritatem fecerint, quamvis non diserte dixerint, declarat locorum multitudo, qui cum insequentium historicorum Dionis potissimum rebus narratis ita saepe ad verbum paene congruunt, ut non ex iisdem atque Suetonius fontibus sua hausisse, sed ex illius libris transscripsisse aut vertisse putandi sint. Recentiorum autem Ernestius in praefat. ad Suet. Tranquillo hoc, inquit, ex merito contigit, ut omni tempore, ab summis et ejus rei judicandae maxime idoneis hominibus, etiam illo ipso, qui omnia divina et humana libenter in dubitationem adducebat, Baylio, fidei nomine laudaretur et commendaretur.

Haec igitur habuimus, quae pro virium exiguitate de Suetonii fontibus et auctoritate diceremus. Sed si commentatio nostra doctorum hominum assensum aliquem tulerit, magnum nobis studii fructum percepisse videbimur.

---

[3]) Caes. cap. 81. — Aug. 6. 94—97. — Tib. 14. 74. — Calig. 5. 57. — Claud. 7. 29. 46. — Nero 6. 7. 36. 46. — Galba 1. 4. 8. 9. 10. 18. — Otho 4. 8. — Vitell. 3. 9. 14. 18. — Vespas. 4. 5. 7. 25. — Domit. 6. 14. 15. 23 ubi ostentis somniisque allatis vitarum finem facit. De narrandis prodigiis loquitur Livius lib. XLIII cap. 13 init.

INDEX.

G

Berolini, typis Starckii.